

Reformatio monasterii Teplensis saeculo decimo quinto exeunte (Fontes historici)

In commentatione mea *Die Triennial- und Annualkapitel der sächsischen Zirkarie des Prämonstratenserordens* (AP L-1974, p. 96 ann. 75) laborem monasteriis ordinis Praemonstratensis in Bohemia reformatis dedicatum pollicitus sum. Decem annis alapsis mihi persuasi maioris momenti esse omnia documenta, quae e tempore reformationis verae et propriae (i.e. anni 1483) ad nos pervenerunt aequae atque nonnulla alia dictum tempus praecedentia et sequentia publici iuris facere. In commentario ad litteras sub numeris I-XXX proxime sequentes conatus sum errores corrigere, qui in commentationem de Sigismundo abbate Teplensi (in pp. 88-115 operis *Festschrift zum siebenhundertjährigen Jubiläum der Gründung des Praemonstratenser-Stiftes Tepl*. Im Selbstverlag. Druck von Josef Gschihay in Marienbad [1893]) irrepserunt.

I. Festschrift 91. Sigismundo Hausmann (1459-1506) munus abbatis Teplensis obeunti oppositus est Georgius Plotner de Tachov (1454-1481) praepositus Chotessoviensis, qui ei subiectus erat, quae res multas difficultates attulit, nam in contentione papae cum Georgio rege Bohemiae abbas Teplensis partes regis sequebatur. Articuli anno 1465 a Georgio abbate Gradicensi promulgati ut «relictum visitationis» quoddam apparent, quamquam abbas Gradicensis nullo munere visitoris fungebatur; qui sunt quasi primum signum studiorum ad res Teplensis Chotessoviensisque monasteriorum reformandas tempore posthussitico spectantium, quae studia extra monasteria orta a rege ipso cum papa contendente promovebantur.

II. Difficulus probari possunt verba in Festschrift 95 scripta: «... der Propst ... sich das Amt eines Generalvisitors zu erwerben wußte und von nun an seinen Abt mit lauter Ermahnungen, Reformvorschlägen und Forderungen von Taliengeldern quälte». Quae litteris obliquis imprimi curavimus, sumpta sunt e decreto, quo praepositus Chotessoviensis a Simone abbate Praemonstratensi aut a capitulo generali nominatus est (diem, quo decretum est editum, ignoramus, qua de causa nescimus, utrum sedente capitulo generali diebus 4.-6. Maii 1466 editum sit an non). Continentur hic admonitiones generales ad statum praesentem emendandum spectantes.

III. In Festschrift non exstat, nam hoc opus solum ex Annalibus Teplensibus (tom. I.) hauriebat, sed hoc documentum (num. III) est originale.

IV. In Festschrift non exstat, solum p. 103 nullo exemplo adhibito nebuloso modo scribitur; «... die Ordensvisitatoren in ihrem Amte lässig, den Abt in

seinem Streben nur schriftlich unterstützten und nicht einmal den von ihnen angesagten Kapiteln persönlich erschienen».

V. Idem ac sub III.

VI. Annus erroneus 1482 (pro 1481), qui in Festschrift 104 legitur, e copia in Annalibus Teplensibus inserta pendet; insuper festum Cathedrae s. Petri in diem 20. Januarii pro die 22. Februarii ponitur.

VII. In Festschrift non exstat. Est unicum documentum lingua Bohemica exaratum, quod in editione nostra damus. Qua de causa versionem eius Latinam modernam adiungimus.

VIII. Festschrift 103; idem ac sub IV.

IX. Festschrift 104 diem certam non exhibet, solum «im Jänner 1483». His litteris a rege datis probatur sententiam in Festschrift 103 prolatam non valere: «Mit gleichem Eifer war Abt Sigismund um die innere Organisation seines Stiftes und die Herstellung der Ordenszucht besorgt ... Mit Ernst und Eifer schritt nun der Abt an die Herstellung der in Tepl tief gesunkenen Ordenszucht, die während der wilden Kriege in allen Klöstern besonders unter dem exponierten Clerus tief gesunken war ...», nam rex in ipso exordio litterarum Joanni de Kolovraty administratori archiepiscopatus Pragensis scribit: «... ad statum Premonstratensis ordinis quem suis in monasteriis magna ex parte per regnum nostrum correccione atque reformatione audimus indigere ... ut scandala a fratribus eiusdem ordinis ubi intelligimus avertamus et suspecta in res sincere providis convertamus remediis». Administrator debet exigere, ut abbas Teplensis conventum reformet, fratres a parochiis revocet, fratres conventuales rerum novarum inimicos e monasterio amoveat, fratres alios idoneos in eorum locum colloset.

X. In Festschrift 104 non exstat. Etiam his litteris a rege abbati conventuique Teplensi datis probatur abbatem ante annum 1483 nihil ad monasterium suum reformandum fecisse; castigatur enim a rege, quod fratres indisciplinatos e parochiis in conventum non revocaverit (cf. litteras VI et VII anni 1481): «Quod ... tibi tuisque fratribus mandavimus, id efficaciter adimplere ... omisistis ... enormis culparumstrarum gravitas grandium onera penarum importet».

XI. In Festschrift 104 erronee hae litterae a capitulo Pragensi datae esse dicuntur. Ex his litteris die 28. Januarii 1483, puta novem dies post litteras novissimas, datis elucet Joannem de Kolovraty ut fulgur quoddam res putrefactas abscindens reformationem fecisse, nam rex dicit 1) perpauca inibi fratres claustralis disciplinae iugum subiisse, 2) alios vero ... abuisse, 3) dictum locum in fratribus regularis vitae plurimum deficere, qua de causa petit, ut a praeposito Mildenfurtensi quattuor vel sex fratres mittantur (forsan tot fratres tunc monasterium reliquerunt?).

XII. Festschrift 104.

XIII. Festschrift 104. Administratores quoque archiepiscopatus Pragensis in litteris die 5. Februarii 1483 datis de Teplensibus dicunt: «... reformationem cum effectu nuper susceperunt ...» sed «... neque unus, qui regularem vitam et observantialem cognosceret, inter fratres modernos habetur». Exoptant ergo a praeposito Mildenfurtensi «fratres aliquos saltem ad tempus aliquod eisdem concedere, quorum informatione residuum observantiae cognoscant et observent».

XIV. Festschrift 105 sine dato. Quoniam nullae aliae litterae a praeposito Mildenfurtensi datae aut receptae ad nos pervenerunt, concludi licet eum fratres ad mittendum idoneos nullos habuisse, qua de causa petitores, puta abbates Strahoviensem (= Montis Sion) et Teplensem, ad archiepiscopum Magdeburgensem misisse (cf. Festschrift 104-105), qui eis saltem tres fratres misit; plus non potuit, quia praepositus monasterii BMV Magdeburgensis eo ipso anno (= 1483) in diversos locos tredecim fratres in summa miserat.

XV. In Festschrift non exstat. Andreas praepositus monasterii BMV Magdeburgensis admonet: «... dedi tamen cum mihi coniunctis patribus vicinioribus [potissimum ex monasteriis Gottesgnaden, Leitzkau?] ... certos fratres ad hoc nobis visos utiles», ergo tres istos, de quibus epistola Magdeburgensis archiepiscopi de eodem die loquitur. Erat ergo quisque eorum aperte ex alio monasterio circariae. Allegationem possibilem ceterorum fratrum Andreas praepositus post sessionem capituli annualis circariae Saxoniae differt, quae anno 1483 diebus 2.-4. Junii celebrabatur.

XVI. In Festschrift non exstat. Per hanc epistolam Andreas praepositus et capitulum unionis (= annuale) circariae Saxoniae se excusant, se ceteros fratres non mittere, et ab abbate Teplensi confirmationem litterarum unionis servandae exposcunt, certe sicut conditionem missionis ceterorum fratrum. De capitulis annalibus circariae Saxoniae vide Dolista, Die Triennial- und Annualkapitel, p. 90 et seq., de litteris unionis servandae ibidem pp. 91-92.

XVII. Festschrift 105 errore manifesto Bernardum visitatorem Heinrich nominat. Reformatio vera et propria ergo ante diem 6. Septembris 1483 iam est finita. Joannes de Kolovraty inter 20. et 28. Januarii 1483 certe primam partem effecit. Postea Sigismundus abbas (qui semetipsum reformationi subiecit) cum auxilio istorum trium fratrum e circaria Saxoniae «creditorum» continuabat. Ipse Sigismundus abbas annum 1483 pro anno reformationis effectae habebat. Graduale de tempore bibliothecae monasterii Teplensis (Cod. 37) habet hanc annotationem: «Iste liber comparatus per reverendum patrem dominum Sigismundum abbatem Teplensem Premonstratensis ordinis Pragensis dyocesis vite sue regularis octavi anni sub serenissimo principe et domino Wladislao rege Ungarie et Bohemie, per quem vita regularis inducta est. Anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo finitus [!] presens graduale die sequenti dominicam Si iniquitates [= 1491 Oct. 31.] per me Udalricum Bartt clericum Magdeburgensem». Notandum est, quod ipse abbas Sigismundus meritum de «vita regulari» (= reformata) in monasterio Teplensi regi Vladislao adscribit, non sibi, ut de abbate in Festschrift dicitur. (De «vita regulari» etiam in litteris XVIII, XXII et XXV sermo fit.) Eo ipso anno 1483 ecclesiae in Bohemia tempora difficilia venerunt, ita ut demum post conflictum pacificatum inter catholicam et hussiticam partem nationis anno 1485 nuntium sequentem de initio anni 1486 habeamus. Est autem instrumentum notariale de 1. Januarii 1486 (or. perg. num. 161 archivi monasterii Teplensis, nunc in Archivo regionali status Pilsnensi) copias vidimatas quinque documentorum continens (sunt vero numeri IX, X, XIV, XV et XVI nostrae editionis). In originali solum unum documentum usque ad nostra tempora asservatum est, nempe numerus XVI.

XVIII. Festschrift 105-106 affirmat, quod «zwei Ordensbrüder von Magdeburg nach Tepl geschickt wurden» et «er [= Abt Sigismund] wolle ... einige

seiner jungen Professoren nach Magdeburg schicken», dum rex solum scribit ad Ernestum administratorem archiepiscopatus Magdeburgensis «duos aut tres fratres regularis vitae dum et quando praefatus abbas Teplensis reverendissimam paternitatem vestram duxerit super hoc requirendam transmittere».

XIX. Festschrift 105-106, idem ac in annotatione XVIII. Sunt de Magdeburg petiti fratres, qui Teplam antea sunt missi (vide epistolam de 19. Februarii 1483) et hic «crediti» solum ad sessionem annalis capituli circariae Saxoniae diebus 2.-4. Junii 1483 celebrati, cuius autem acta ad nos non pervenerunt, similiter ac eorum capitulorum annalium usque ad annum 1495 inclusive. Quia autem tantum monasteria iam pridem reformata sessionum capitulorum annalium participes esse poterant et eis solummodo via ad alia monasteria reformanda patuit, nescimus utrum aliqua de reformatione Teplensi adiuvanda hic tractata sint. Constat monasterium Teplense etiam postea cum Magdeburgo et Saxonia relationes habuisse, nam acta capituli annalis circariae anni 1503 (quamquam sine ulla mentione de monasterio Teplensi) transscripta tantum in Annalibus monasterii Teplensis asservata sunt. (Dolista, Acta capitulorum triennialium et annalium, pp. 60-62).

XX. Inter fratres de oboedientia abbatis Teplensis exemptos forsitan Paulus et Aegidius sunt numerandi, de quibus anno 1488 in documento sequenti (num. XXI) audimus.

XXI. In Festschrift non exstat.

XXII. In Festschrift 106 mentio brevis legitur. Pro annis 1501, 1514, 1515 errore annus 1499 inducitur.

XXIII. Festschrift 106 loco 1497 ponit 1490 et 1512 omnino non habet.

XXIV. Festschrift 106 pro 1499 praebeatur 1495, annus 1506 deest.

XXV. Festschrift non habet.

XXVI. In Festschrift non exstat, quoniam ad Chotesov pertinet.

XXVII.-XXX. In Festschrift non exstant.

I.

1465 mart. 20.

Georgius abbas Gradicensis in lite inter Sigismundum abbatem suumque conventum monasterii Teplensis et Georgium praepositum suumque conventum monasterii Chotesoviensis iussu Georgii regis Bohemiae auditor et iudex constitutus certos articulos servandos statuit.

Transsumptum in confirmatione Georgii regis Bohemiae die 30. mart. 1465 Pragae data, cuius copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 72^r-75^r in bibliotheca monasterii Teplensis.

In nomine domini feliciter amen. Omnia quae aguntur in tempore simul et in tempore labuntur nisi testimonio scripturarum et sigillorum

characteribus memoriae commendentur et perhennitentur. Nos igitur Georgius¹⁾ miseratione divina abbas monasterii Gradicensis ordinis Praemonstratensis Olomucensis diocesis notum facimus tenore praesentium universis praesertimque venerabilibus patribus abbatibus, praepositis, prioribus singulisve personis ordinis praedicti quod plurimae ac variae lites et discordiae inter venerabiles patres ac dominos dominum Sigismundum²⁾ abbatem Teplensem et suum conventum ex una et dominum ac fratrem Georgium³⁾ praepositum sanctimonialium et suum conventum monasterii Chotiessoviensis parte ex altera patre nequitiae operante perniciose fuerant exortae, quae insuper usque ad serenissimi principis et domini domini Georgii⁴⁾ regis Boemiae domini nostri gratiosissimi ac dominorum secularium audientiam pervenerant. Et considerans ipsa regia maiestas, quae et quanta mala et scandala ex hoc fomite vitioso praedictis partibus imo conventibus eorundem et toti ordini nostro accidere potuissent nos ad infrascripta et partes praefatas vivae vocis oraculo evocando ac auditorem et iudicem constituit et deputavit. Nos vero licet inviti hoc onus super se recipientes et fratribus praedictis compatientes ob decorem et melius bonum ordinis nostri Deum habentes prae oculis ipsas causas et articulos utriusque partis audivimus. Quorum articulorum sententiam diffinitivam in concordiam perpetuam tenendam fecimus et praesentibus inserentes facimus talem:

Primum decernimus et declaramus, ut dominus et frater Georgius praepositus Chotiessoviensis ac sui successores patri abbati Teplensi solitam et realem quemadmodum antecessores ipsius praepositi praestiterunt voveat, faciat et exhibeat obedientiam et praesertim in electione novi abbatis, cuius primus est elector. Et pater abbas Teplensis cum fratribus suis ipsum dominum praepositum Chotiessoviensem in reverentia et honore, ut a praedecessoribus patribus abbatibus Teplensibus solitum est habeat et teneat, ut impleatur statutum⁵⁾ Filius veniens ad matricem ecclesiam congrua ei reverentia impendatur. Et illud dictum beati Augustini patris nostri in regula: Honore invicem praevenientes ut decet sanctos⁶⁾.

¹⁾ Georgius II. abbas Gradicensis 1463-1472.

²⁾ Sigismundus Hausmann abbas Teplensis 1459-1506†.

³⁾ Georgius Plotner de Tachov praepositus Chotiessoviensis 1454-1481†.

⁴⁾ Georgius rex Bohemiae 1458-1471†.

⁵⁾ Cf. Abbas vero filius quotiens ad matricem ecclesiam venerit, congrua ei reverentia impendatur (Pl. F. LEFÈVRE, *Les Statuts de Prémontré*, Louvain 1946, dist. IV, caput 3, pag. 94).

⁶⁾ Honore invicem praevenientes, cf. Rom. XII, 10. Ut decet sanctos, cf. Eph. V, 3.

Item decernimus et declaramus, ut fratres a patre Teplensi ad monasterium Chotiessoviense, qui pro praesenti missi sunt aut in futuro mittentur, cum obedientia sibi domino praeposito et non alteri mittantur et eidem domino praeposito in salutem animae suae committantur, ut eosdem teneat, foveat, regat et instruat scientia, vita et moribus, ut prior in conventu ac ex illis fratribus, qui magis idoneus videbitur et maturus, eundem constituat in priorem et confessorem virginum suarum. Et si fratres excessivi fuerint, corrigendi sunt per priorem poena duorum aut trium seu quatuor dierum secundum quod culpa dictaverit⁷⁾. Si vero per ipsos fratres aut aliquem eorum excessus maioris aut gravioris culpae committeretur, tales aut talis mittantur ad ecclesiam matricem Teplensem et patri abbati puniendi relinquuntur.

Item decernimus et declaramus, ut si et in quantum ipse dominus praepositus et priorissa cum suo conventu patris abbatis Teplensis propter consilia aut alia necessaria et ardua sive propter aliqua decernenda sive propter punitiones inferendas indigentiam habuerint, idem pater abbas in ipso antiquam consuetudinem imitando tenebitur et debet venire in monasterium Chotiessoviense totiens quotiens opportunitas exigerit per omnia cum domino praeposito ac priorissa caeterisque virginibus senioribus maturo praehabito consilio bonum commune monasterii praevidentes. Et si qua corrigenda seu reformanda fuerit secundum formam statutorum ordinis nostri contentam corrigant et reforment bonas et dignas, ut in bonitate perseverent exhortantes et confortantes, inutiles vero seu rebelles et excessivos utriusque sexus corrigentes et deponentes. Ac etiam ut pater abbas Teplensis ex nunc prout ex tunc quotiens opus fuerit et minime semel in anno conventum sanctimonialium in Chotiesaw solerter, studiose et solícite visitet et exhortando admoneat et monendo praecipiat, ne tria essentialia ordinis nostri vota aliquomodo transgrediantur, secundum ut bulla sanctissimi patris Pii papae secundi⁸⁾ lucidius demonstrat et declarat, cuius praecipimus in monasteriis vestris copiam haberi.

Item mandamus et praecipimus, ut in capitulo nullus ex fratribus aut sororibus nostri ordinis se erigat contra seniores videlicet praelatos, qui tenent capitulum vel locum superiorem nec quis loquatur praeterquam ad interrogata, ut institutio capituli et regularis disciplina studiosa diligentia servetur et correctiones ab ipso praelato, priore vel priorissa

⁷⁾ Cf. LEFÈVRE, o.c., dist. III, pag. 65 sq.

⁸⁾ Forsan hic fit allusio in bullam Pii papae II. de dato 1464 maii 29., de qua vide J. J. EVERS, *Formularium Praemonstratense II*, pag. XIV, num. 23.

pro excessibus et demeritis eorundem eis infligendas cum obedientia, humilitate et patientia per omnia suscipere tenebuntur quovis munere penitus aut recalcitatione suppressis et remotis contrarium facientes poenis in statutis contentis subiiciantur.

Item mandato regio et statutis inhibemus et prohibemus fratribus professis monasterii Teplensis, ne visitent tabernas, ludos et omnes inordinatas levitates ut devitent, per quos denigrari posset noster ordo Praemonstratensis. Etiam decernimus et declaramus imo et stricte ex statutis ordinis nostri et strictius ex mandato praehabitae regiae maiestatis ipsi domino praeposito mandamus, ut conventus sanctimonialium sub diligenti custodia et clausura debita teneatur, ut nullus eas demptis personis ad officia earum deputatis visitare, accedere, loqui aut confortare^{a)} seu tractare sive spiritualis sive secularis sive amicus sive consanguineus possit nec valeat absque licentia speciali domini praepositi praelati earundem neque ipsae virgines et moniales a quacunque persona litteras aliquas aut xenia et munuscula, quibus sanctus amor penitus dedignatur nec aliquas litteras scribant aut testimonia dent nisi specialis praelatorum aspiraverit consensus aliquomodo suscipere praesumant. Hoc de simili intelligendum est de fratribus. De sigillo conventus taliter decernimus secundum statutum, ut teneatur in custodia sub tribus seris seu clausuris, clavem primam habeat dominus abbas aut praepositus, secundam prior vel priorissa, tertiam senior conventus et unanimi consensu recipiatur faciendo, quae sunt facienda in praesentia conventus. Post cuius indigentiam servetur et recludatur modo praedicto.

Item decernimus et declaramus, ut nullus fratrum aut sororum de caetero cum dissensio vel discordia inter ipsos vel eas aliqua pullulaverit, ad seculares personas cuiuscunque dignitatis, sed solum ad praelatos nostri ordinis videlicet ad patrem abbatem Teplensem et dominum praepositum Chotiessoviensem refugium habeant et recursum. Et ipsi patres huiuscemodi pullulantia nociva intercipient et sopiant cum diligentia, quia parvus error in principio nisi discretionis surripiatur tramite, magnus fit in fine.

Item ipse dominus praepositus Chotiessoviensis nullum apostatam aut fratrem fugitivum de monasterio Teplensi nisi specialem licentiam authenticis patris nostri Praemonstratensis vel generalis capituli habuerit roboratam suscipere aut tenere in praeiudicium ecclesiae matricis quovis modo praesumat. Et si aliquem fratrem apostatando aut fugiendo venire

^{a)} confortare, *in cop.* conforre [!]

contigerit in monasterium Chotiessoviense, ipse dominus praepositus talem fratrem ut ovem errabundam consilio salvo et monitione tenetur inducere in ovile unde exivit. Etiam cum summa diligentia mandato statutorum nostrorum atque regio praecipimus atque mandamus tam fratribus monasterii Teplensis quam sororibus in Chotisshow, ut horas canonicas curatius psallentes debita cum pausa paulatim et distincte procedendo cum reverentia ac profunda suo tempore inclinatione et humili veniae petitione curialitatem et omnem levitatem in hoc devitantes modeste et lente intonantes cantum Gregorianum verbis vanis et inutilibus non intersecantes, sed integrum persolventes et omni die non minori maturitate et idoneitate summam missam iuxta quod ordinarius docet decantantes perficiant. Quibus sic bene peractis a mentibus vestris non se elonget iugis Christi fidelium defunctorum felix memoria et horum praesertim, qui nos suis beneficiis et largis provisionibus ditarunt et dotarunt in dei cultu et perhennarunt. Ob cuius gratitudinis vicissitudinem singulis diebus feriatis, quando plenum officium non habetis, Placebo⁹⁾ cum vigiliis trium lectionum et brevi commendatione cum missa peragere non cessetis, ut verificetur in vobis illud psalmistae: Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo¹⁰⁾. Et haec fiant cum cordis attentione, ne dicatur vobis a domino illud Esaiae: Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me¹¹⁾. Et quia speciosa laus non est in ore peccatoris¹²⁾, dicantur et cantentur corde compuncto, quia cor contritum et humiliatum Deus non despiciet¹³⁾. Excessores vero in Dei laudem corrigantur disciplinis monasticis ordinis nostri ad hoc consuetis. Ast fratres et sorores de caetero conspirationes arctius devitent iuxta tenorem capituli in statutis desuper confecti¹⁴⁾ contrarium facientes poenis ibidem dictatis subiiciantur. Singulis etiam fratribus et sororibus per poenas statutorum desuper decretas mandamus, ut ordinis secreta extraneis non revelent et praesertim parentelae suae et amicis. Velitis itaque superioribus vestris patri abbati Teplensi, domino praeposito et priorissae Chotiessoviensi ob meritum salutaris obedientiae humiliiori modo et reverentius in omnibus obedire paternis et maternis suasionibus et correctionibus dignanter

⁹⁾ Cf. Ps. CXIV, 8.

¹⁰⁾ Cf. Ps. XXXIII, 2.

¹¹⁾ Cf. Matth. 15,8 et Ps. XXIX, 13.

¹²⁾ Cf. Eccli. 15,9.

¹³⁾ Cf. Ps. L, 19.

¹⁴⁾ Cf. LEFÈVRE, o.c., dist. III, cap. 6, pag 73-74.

subiici per omnia ut superius praemisum est, ut in aeterna vita super aurea mereamini aureolis coronari.

Et ut praemissa singula sincerius observentur, exhortamur venerabilem patrem dominum abbatem Teplensem et dominum praepositum Chotiessoviensem cum eorum conventibus per viscera misericordiae Dei nostri, quatenus omnes fratres et sorores suas omni paternitate et dilectione pertractent, foveant, regant et ad bonum inducant. Modo simili dominos et fratres priorem et suppriorum, circatorem ac virgines priorissam, suppriorissam et circatricem aliosque officiales utriusque sexus fratres singulos et omnes sorores, ut patres praelatos et superiores eorum obedientia filiali prosequantur, honore et reverentia venerentur prout decet sanctos et omni fidelitate ipsis coassistant mutuoque pacem et concordiam intrent sincero corde iuxta patris nostri sancti Augustini doctrinam dicentis et tradentis: Omnes unanimiter et concorditer vivite etc.¹⁵⁾ Silentium quoque, quod clavis esse dignoscitur, quatuor in locis sacris per iura et statuta designatis strictius teneatur et praesertim in dormitorio post completorium omnes insolentiae resecentur ad tranquillam fratrum et sororum quietem, per oppositum qui reperti fuerint, consona poena plectentur. Camerae sive cellae fratrum aut sororum sint fenestratae seu cancellatae et apertae ita quod visitantium aspectus lucide prospicere queant. In eisdem etiam circator vel circatrix instituaturs et quando visum fuerit circumeat, quomodo unusquisque vel unaquaeque in cella sua se habeat. Ad mensam semper lectionem habeant et regula patris nostri beati Augustini semel in hebdomada, expositio super eandem bis in anno videlicet Quadragesimae et Adventus Domini coram conventu in refectionibus vel collationibus recitentur. Post refectionem geminam pro gratiarum actione psalmum Miserere mei Deus¹⁶⁾ ad chorum eundo Domino decantent. Humiliter petimus et supplicamus, ut praesens scriptum sive decretum in quolibet quartali anni semel coram conventu recitetur ne aliquis praetextu ignorantiae seu aliqua eorum transgressor fiat.

Mandatoque regio et sub poenis ordinis districte praecipiendo in meritum salutaris obedientiae mandamus domino patri abbati Teplensi et domino praeposito Chotiessoviensi, ut praemissam executionem effectui demandent et faciant una cum aliis nostram religionem ornantibus. Inter quae non minimum habitus nostri ordinis decentia, pro quorum

¹⁵⁾ Cf. Omnes ergo unanimiter et concorditer vivite et honorate in vobis Deum invicem, cuius templa facti estis. *Regula S. P. Augustini, cap. III.*

¹⁶⁾ Cf. Ps. L, 3.

supplemento ipsos fratres et sorores ad regularia statuta nostri ordinis remittimus, ut secundum ea faciant. Contradictores seu rebelles, si qui fuerint per censuram ecclesiasticam et alias ordinis poenas viriliter compescendo invocato ad hoc si opus fuerit brachii secularis auxilio. Omnium praemissorum diminutionem, additionem, correctionem et interpretationem intelligentibus patribus senioribus nostri ordinis committentes relinquimus. Et quaecunque partium oppositum attentaverit iure quovis sciat non competere sibi aliquam iurisdictionem. In quorum omnium robur et validitatem praesentes patentes litteras nostro maiori sigillo et sigillis domini praepositi et sui conventus sanctimonialium in Chotiesaw pro monasterio Teplensi servandum duximus roborandas anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto die 20, mensis martii.

II.

1466 iul. 30. Plzen

Georgius praepositus Chotesoviensis necnon regni Bohemiae ac Moraviae Sclavoniaeque circariarum visitator annuus Sigismundo abbati Teplensi de observatione vitae religiosae et de solutione talliarum ordini debitarum scribit.

Cop. chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 80^r-81^r in bibliotheca monasterii Teplensis.

Georgius¹⁾ dei gratia praepositus monasterii Chotiessoviensis necnon regni Boemiae ac Moraviae Sclavoniaeque circariarum per summum et venerabilem dominum dominum Simonem²⁾ abbatem Praemonstratensem ac coabbatum ipsius capitulum generale visitator annuus deputatus Venerabili patri atque domino domino Sigismundo³⁾ abbati monasterii Teplensis debita cum orationibus salutis officia ac effectum demandare praesentia. Cum monasterium vestrum ad praesens propter certa quae in dies decurrunt pericula visitare et visitationis officium prout manifeste superiorum venerabilium dominorum authentico super eo nobis misso tenemur, quod authenticum ipsi vidistis exercere non possumus nihilo-

¹⁾ Cf. litteras num. I, nota 3.

²⁾ Simon de la Terrière, abbas Praemonstratensis, 1458-1470.

³⁾ Cf. litteras I, nota 2.

minus tamen ea, quae possibilitas in eodem facto facienda et expedienda permiserit faciemus et expediemus veluti praesentibus facimus et expediemus. Quare venerabilitati vestrae^{a)} praesentibus auctoritate visitatoria nostra imo verius praedictorum venerabilium dominorum et patrum mandantes^{b)} praecipimus et praecipientes mandamus quatenus paternitas vestra more pii patris atque pastoris oves vestras subditas et commissas exemplari vita virtuosa antecedendo pascere, fovere, protegere velit et instruere sic *tam in spiritualibus quam in temporalibus tam in capite quam in membris Deum solum habentes prae oculis sollicitate et attente corrigere ac reformare in eisdem quae secundum Deum, privilegia, institutiones et nostri ordinis statuta corrigenda repperitis seu reformanda. Maxime a singulis vobis et ordini subditis tria essentialia religionis vota laudabiliter observare et habituum aliarumque curiositatum deformitates truncari et aboleri atque bullam sanctissimi domini divinae memoriae Pii papae secundi⁴⁾ executioni demandari faciatis et astringatis poenisque ordinariis his nostris imo potius praedictorum venerabilium patrum et dominorum contradicentes mandatis afficiatis atque affligatis ac singula tam monasteriis ipsis quam^{c)} eorundem personis salubria et futura provideatis. Caeterum tallias seu contributiones ordinarias ordini nostro quolibet anno debitas pro tuitione iurium, privilegiorum et libertatum eiusdem ordinis nostri rationabiliter impositas anno praesenti sive de prius per vos ac monasterium vestrum retentas, pro quibus iam saepius litteris nostris requisiti ac sollicitati estis dare nobisque in Pilz⁵⁾ in domum habitationis nostrae die et festo sanctae Mariae assumptionis proximo venturo [= 1466 aug. 15.] quam vobis peremptorio assignamus termino, transmittere velitis, quittancias de prius solutis tallionibus nobis demonstrantes atque novas a nobis si ipsas dederitis recipientes atque recipi disponentes. Quod nisi feceritis, auctoritate praedictorum venerabilium dominorum et patrum sententiis excommunicationis vos innodamus in his scriptis a divinis atque ab ingressu ecclesiae vos suspendentes una cum singulis religiosiis fratribus vestris. Datum Plz⁶⁾ XXX die mensis iulii anno domini MCCCC LXVI^o sigillo praepositurae praesentibus annexo.*

⁴⁾ Cf. litteras I, nota 8.

⁵⁾ Plzen, germ. Pilsen, civitas in Bohemia occidentali in Bohemoslovakia.

⁶⁾ Itidem.

^{a)} venerabilitatem vestram, in cop.

^{b)} mandantes, deest in cop.

^{c)} quae, in cop.

III.

1469 maii 20. Cheb

Sigismundus abbas Teplensis fratrem Matthiam professum et canonicum monasterii Teplensis ad aliud monasterium euntem omnibus commendat.

Orig. chart. num. 155 b/ in archivo monasterii Teplensis, hodie in archivo regionali status Pilsnensi. Sigillum quondam subappressum nunc deest.

Reverendissimis et venerabilibus in Christo patribus et dominis, dominis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prepositis, prioribus et eorum conventibus ordinis Premonstratensis ceterisque in morum honestate atque decencia constitutis cuiuscumque status ac condicionis universis et singulis, qui presentibus fuerint requisiti nos Sigismundus¹⁾ miseracione divina abbas monasterii Teplensis ordinis antidicti Pragensis dyocesis oracionum in copia prevolante cordialis constancia cum dileccionis ac favoris puritate affectum, fidei katholice incrementum. Quia ob ruinosam Hussitarum perniciem eorumque persecucionem rabidissimam, quam in Christi fideles morsu feriunt, cunctos quos reperiunt hostiliter vita orbitando, non vero immodica cleri copia eiulantur [!]^{a)} doloroseque hinc inde dispersi divagari cogitur opitulamen refugii querens. Quapropter religiosus frater Mathias²⁾ monasterii Teplensis professus et canonicus presencium exhibitor zelator fidei katholice ab omni prorsus Hussitarum secta exemptus prediacte malignitatis abhorrens satellites viteque sue operam acquirere cupiens salubriorem metas liquit nativas a nobis licenciam petens ad aliud monasterium. Ad cuius precum instanciam paterno affectu moti ei licenciam damus et favorose concedimus sibi condolendo propter desolacionem, spoliacionem et extirpacionem nostri monasterii Teplensis. Et ex quo illud proch [!] dolor et mansiones nostrorum bonorum destructe, exuste atque radicitus demolite sunt in tantum quod quasi nullus sit habitandus locus aptus sed vasta solitudo. Sic itaque temporibus istis gemebundis et fluctibus huius mundi procellosi diversi fortunii inimica [!]^{b)} existente compellimur aliena subsidia rogare propter maxima discrimina regni Bohemie supplicando

¹⁾ Cf. litteras I, nota 2.

²⁾ Mathias, canonicus Teplensis, forsan idem ac plebanus in Cihaná in Bohemia occidentali in Bohemoslovia, qui commemoratur prima vice 1458 dec. 24.

^{a)} sic in orig., loco eiulatur.

^{b)} sic in orig., loco inimicia.

pro et cum ipso cunctis humillime, quatenus ob intuitum divine remunerationis precumque nostrarum respectum in eo a deo merebimini sempiternum premium, ab hominibus famam laudabilem a nobisque complacenciam non simplicem sed maiorem vobis ac vestro conventui ubilibet exhibendam, insuper confessiones ipsius audiendi, absolvendi et alia consueta in hiis nostram omnimodam ad hoc concedimus auctoritatem. Datum Egre³⁾ in habitationis nostre loco vicesima die mensis maii anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono nostro abbacie sub sigillo subappresso.

IV.

1476 febr. 8. Osterhofen

Joannes abbas Osterhovensis et visitator diversarum circariarum convocat abbates et praepositos monasteriorum ordinis in Bohemia in monasterium Plagense «ad audiendum et videndum nostrorum vicariatus et visitationis officium ac commissionis processum».

Copia anni 1621 in libro ms. chart. Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 320^{r-v}, in bibliotheca monasterii Teplensis cum superscriptione: N. 133. D. abbas Osterhoviensis, visitator, indicit capitulum in monasterio Plagensi celebrandum.

Joannes¹⁾ permissione divina abbas sanctae Margarethae in Osterhoven Praemonstratensis ordinis Pataviensis diocesis [!] per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Hubertum²⁾ eadem permissione abbatem Praemonstratensem in regnis, partibus et circariis Boemiae, Poloniae, Bavariae, Sueviae, Austriae, Slesiae, Moraviae vicarius generalis et visitator specialis in potestatis plenitudine tam in spiritualibus quam in temporalibus specialiter deputatus reverendis ac venerabilibus in Christo patribus et dominis Strahoviensis³⁾ alias Montis Syon, Teplensis⁴⁾, Milocensis⁵⁾ et Siloensis⁶⁾ abbatibus necnon Choties-

³⁾ Cheb (bohemic), Eger (germanice), civitas in Bohemia occidentali in Bohemoslovacia.

¹⁾ Joannes IV. Schiltl abbas Osterhovensis 1461-1484.

²⁾ Hubertus de Monthermé abbas Praemonstratensis 1470-1497.

³⁾ Joannes Starustka abbas Strahoviensis 1470-1486.

⁴⁾ Sigismundus Hausmann abbas Teplensis 1459-1506†.

⁵⁾ Nicolaus II. abbas Milocensis 1473-1493.

⁶⁾ Venceslaus abbas Siloensis 1468-1492.

soviensis⁷⁾ et Doxanensis⁸⁾ monasteriorum monialium praepositis nostri Praemonstratensis ordinis salutem in domino et studiosam nostris imo verius praefati domini nostri reverendissimi mandatis diligentiam adhibere. Venerandi patres, amici singulares. Cum inter sollicitudines varias quibus angimur non posterior imo anterior et potior cura executionis, accurationis ex debito obedientiae nostrae religionis et officio vicariatus commissionisque quibus in praesentiarum arctius constricti angimur, ut ad vivendi formam rectam et ad viam salutis universos nostrae religionis in circariis antedictis ab observantia regulari deviantes etiam invitos exhortationibus et aliis modis quibus possumus reducamus et alias considerando necessitates dictarum circariarum eiusdemque iuxta nostrae parvitatatis modulum providendo et pacem exinde sequi inter praelatos et religiosos atque obedientiam et utilitatem eorundem redundari deo adiuvante speramus. Et quamquam singula monasteria vestra in forma vicariatus et commissionis usque ad revocationem quotiens oportuum fuerit personaliter de loco in locum visitare debeamus in commissis, parcere tamen cupientes expensis maioribus necnon ad diffortunae discrimina cautius abiganda caeteraque [!] gravamina alleviare satagentes et ut mandatis superiorum nostrorum aliquale sortiatur complementum, vobis omnibus generaliter et cuilibet in solidum in virtute salutaris obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatinus assumentes^{a)} vobiscum quilibet sui monasterii priorem aut alium saniores fratrem conventualem ab eodem conventu procuratorium plenum habentem omnibus postergatis occasionibus XIX die mensis martii, quae erit feria 3 post Oculi instantis Quadragesimae [= 1476 mart. 19.] in monasterio Slagensi⁹⁾ nostri ordinis Pataviensis diocesis [!] conveniatis et quilibet vestrum conveniat atque ibidem vos ad hospitium recipiatis et quilibet vestrum recipiat, die vero immediate sequenti videlicet feria 4^{ta} coram nobis et collegis nostris¹⁰⁾ hora capitularii [!] in praedicto monasterio quod ad hoc elegimus cum continuatione dierum sequentium legitime compareatis et quilibet vestrum compareat ad audiendum et videndum nostrorum vicariatus et visitationis officium ac commissionis processum

⁷⁾ Georgius Plotner de Tachov praepositus Chotesoviensis 1454-1481.

⁸⁾ Venceslaus praepositus Doxanensis 1470-1500.

⁹⁾ Schlägl in Austria Superiori.

¹⁰⁾ Ex his patet Joannem visitatorem sibi plures assessores, pro unaquaque circaria forsan unum, elegerisse vel nominavisse, qui omnes in monasterio Plagensi convenire debuerunt.

^{a)} assumptis, in cop.

in vos et quemlibet vestrum ac obedientiarioros vestros institutum necnon ad satisfaciendum nobis de taliis tam ordinariis quam extraordinariis tam de anno praesenti quam etiam retroactis et futuris annis aliisque iuribus ordini nostro debitis atque rite impositis, ad ordinandum, exercendum atque disponendum ea, quae monasteriis vestris et personis utilia et decentia respexerimus avisantes vos et quemlibet vestrum, quod si in loco et termino coram nobis, quod non putamus, minime parueritis contra vos et quemlibet vestrum non comparentem auctoritate nostro- rum vicariatus et commissionis indubie procedemus vestra vel sua contumacia non obstante. Praesentem latorem de suo salario contentum fieri demandamus, cuius relationi de executione stabimus contenti. Datum nostro ex monasterio Osterhoffensi [!] die Iovis VIII die mensis februarii anno domini M^o CCCC^o LXXVI^o nostro sub sigillo minori praesentibus in fine impresso. Idem qui supra¹⁾).

V.

1478 aug. 18. Knechtsteden

Johannes abbas Knechtstedensis fratri Matthaeo professo et canonico monasterii Teplensis licentiam concedit, ut proprium monasterium [= Teplense] visitare possit.

Or. chart. num. 168 in archivo monasterii Teplensis, hodie in archivo regionali status Pilsnensi.

Johannes¹⁾ permissione divina abbas monasterii Knechtsteindensis [!] ordinis Premonstratensis diocesis Coloniensis notum per presentes facimus, sicut frater Matheus²⁾ ad nos missus est a venerabili patre et domino Vesserensi³⁾ et per nos missus est ad Hamborn⁴⁾ ad reformacio-

¹⁾ Loco Idem qui supra in litteris originalibus forsitan fuit subscriptio Joannis abbatis et visitatoris.

¹⁾ Joannes abbas Knechtstedensis tantum hoc anno (1478) commemoratur (BACKMUND, Mon. I², 223 non habet et Ludgerum hic ponit).

²⁾ Matthaeus forsitan idem ac Matthaeus de Urvina, qui 1492 iul. 17. prima vice occurrit. Postea 1496 mart. 18. et 25. prior Teplensis, ab anno 1498 abbas Strahoviensis, resignavit prima vice ante 1509 maii 18., denuo eodem anno abbas Strahoviensis, resignavit secunda vice 1510 febr. 27., obiit 1510 mart. 16.

³⁾ Nomen abbatis ignoratur (aut Jacobus aut Petrus?) Cf. BACKMUND, Mon. I², 163.

⁴⁾ Hamborn, cf. BACKMUND, Mon. I², 207.

nem et ibidem per anni spacium cum fratribus conversatus est religiose atque honeste ac humiliter die noctuque cantando, legendo ac in dei servicio frequens et assiduus fuit sic, quod omnes fratres dederunt nobis propter ipsum laudem. Et sic propter suam diligenciam nos eum promovimus ad tempus servire in seculo cum fratribus ordinis nostri cum licencia visitoris⁵⁾ quia pauper fuit nec vestimenta habuit et sic misericordia commoti sumus, licenciam ei indulsumus deinde ad instantiam precum suarum humilium, ut visitare posset et adire terram nativitatis sue ad amicos sive proprium monasterium⁶⁾ nobis sepe et humiliter supplicavit eum licenciare. Nos igitur sue affectuose frequentationis indefessa solitacione et multiplicata propulsu pie commoti licenciam sibi dedimus et tempus amicos suos visitare usque ad festum omnium sanctorum⁷⁾ nisi per proprium prelatum⁸⁾ impeditus fuerit et acceptus. Insuper supplicamus prelatos, priores ceterosque fratres quatenus fratrem Matheum benigne velitis suscipere seu misericorditer acceptare[!] et eum sub alis congregacionis quemadmodum galina[!] congregat pullos suos et eum circa vos retinere. Quem tamen propter suam discretam et monasticam vitam humilemque conversacionem libenti animo diucius apud nos et fratres nostros extraneos retinuissemus supplicamusque in Christo omnes ecclesiasticos viros, ad quod se declinaverit, zelo dei et ordinis nostri antedicti eundem Matheum presbyterum et bonum catholicum canonicum professum monasterii Teplensis⁹⁾ Pragensis diocesis recipere, benigne tractare, favere aliaque opera misericordie exhibere et quid necessitatis evenierit, misericorditer subvenire velitis, ut retributor omnium bonorum et oraciones ordinis in summa necessitate resuffragentur. In quorum testimonium premissorum sigillum nostrum abbaciaie presentibus duximus impressum[!]. Datum in nostro monasterio Knechtsteindensi[!] feria tertia post Assumptionem Marie anno domini M° CCCC° LXXVIII.

[*In dorso manu multum posteriori, forsan saeculi XVIII., scriptum 1478. August. et numerus 43*]

⁵⁾ Visitor Vestfaliae annis 1477-1479 erat Bernhardus abbas monasterii Gradicensis in hodierna Bohemoslovacia.

⁶⁾ Id est Teplá.

⁷⁾ Id est 1478 nov. 1.

⁸⁾ Cf. litteras I, nota 2.

⁹⁾ Cf. notam 2 hic superius.

VI.

1481 febr. 6. Strahov

Joannes abbas Strahoviensis Sigismundo abbati Teplensi iniungit, ut fratres Teplenses in ecclesiis parochialibus constituti die 22. februarii in monasterio Strahoviensi conveniant coram rege Bohemiae Vladislao constituendi.

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 321^v in bibliotheca monasterii Teplensis cum superscriptione: N. 135. D. Joannes abbas Strahoviensis iussu regis Wladislai Pragam convocat fratres parochiales monasterii Teplensis.

Salutis vota ac dies iocundos et felices, venerabilis pater. Occasionem has ad paternitatem vestram scribendi litteras dedit maiestas regia, dominus noster gloriosissimus¹⁾, ad cuius conspectum dum die ultima ianuarii²⁾ inopinate evocatus fuisset recepi mandata mihi severius iniuncta, quatenus fratres vestros monasterii Teplensis³⁾ extra regulam in ecclesiis constitutos parochialibus sive alibi fuerint citius quam fieri posset ad me convocarem in Strahoff^{a)}⁴⁾ coram sua constituendos maiestate, quibus sine dubio aliqua loqui dignabitur et illos audire. Ego itaque principis imperio ceu[!] aequum est et dignum morem gerere volens ignorans tamen ubi quilibet illorum sit et in quo loco arbitrans illos non distare multum a vobis et de illis melius cognoscere placuit ut litteras vestras mandatum regum consequenter et meum continentes cuilibet illorum assignare velitis omni semota mora, quibus coram me comparendi feria quinta in Kathetra^{b)} sancti Petri⁵⁾ assignavi. Paternitas vestra ita faciet, ut praemittitur, non dubito. Ex Strahow^{c)} feria III die sanctae Dorotheae anno domini 1481^{d)}⁶⁾.

^{a)} sic in copia.

^{b)} itidem.

^{c)} itidem.

^{d)} in copia, certe per errorem copistae, 1482. «Feria quinta in Kathetra sancti Petri» et «feria III die sanctae Dorotheae» ad annum 1481 spectant.

¹⁾ Vladislaus II. rex Bohemiae 1471-1516, ab anno 1490 etiam rex Hungariae.

²⁾ Id est 1481 ianuarii 31.

³⁾ Cf. litteras V, nota 6.

⁴⁾ Strahov vel Mons Sion.

⁵⁾ 1481 febr. 22.

⁶⁾ 1481 febr. 6.

Si placet istam litteram mittere fratribus, ut fidem adhibeant, fieri potest. Ego tantum opto.

Joannes⁷⁾ divina providentia abbas
monasterii Strahoviensis

[*In dorso originalis deperditi scriptum erat:*] Venerabili in Christo patri ac domino Sigismundo⁸⁾ abbati monasterii Teplensis confratri nostro.

VII.

1481 maii 19. Pragae

Vladislaus rex Bohemiae Sigismundo abbati Teplensi de incarceratione unius sacerdotis monasterii Teplensis et de aliis sacerdotibus eiusdem monasterii male viventibus.

Orig. chart. in lingua bohémica sign. No 175 in archivo monasterii Teplensis, hodie in archivo regionali status Pilsnensi. Sigillum quondam appressum deest.

Vladislav¹⁾ z božie milosti král český, [m] arkrabě^{a)} moravský etc. Nábožný [náš milý. Jak] ož^{b)} máš a držíš u vězení kněze²⁾ pro neslušnost a provinění, kteréžto jest učinil napře[d proti]^{c)} Pánu Bohu i také proti zákonu vašemu, protož prikazujemť, aby téhož kněze nepropú [šťěl, a] le^{d)} měl se v tom tak, ať by ten kněz tresktán byl vedle jeho provinění a vedle řá [du a]^{e)} zákona vašeho, ať by znajíc a vidúce to jiní^{f)} o takové lotrovtvie a neslušnost nesměli se pok [ú] šeti^{g)}. Také zpraveni jsme, že by knězie v témž klášteře³⁾ neřádne se měli a v lechkosti[!] se

⁷⁾ Cf. litteras IV, nota 3.

⁸⁾ Cf. litt. I, nota 2.

^{a)} «m» deest in loco a vermibus devorato.

^{b)} «náš milý. Jak» deest eadem de causa.

^{c)} «d proti» deest eadem de causa.

^{d)} «šťěl, a» deest eadem de causa.

^{e)} «du a» deest eadem de causa.

^{f)} «jiní» scriptum supra lineam.

^{g)} «u» deest in loco a vermibus devorato.

¹⁾ Cf. litteras VI, nota 23.

²⁾ Forsan idem est ac Matthias Kavka, cf. litteras XVII., nota 9. Incertum manet num idem sit ac Matthias plebanus in Cihaná 1458 dec. 24. et canonicus Teplensis 1469 maii 20., cf. litteras III, nota 2.

³⁾ Id est monasterium Teplense, cf. litteras V, nota 6.

zachovávali, ješto skrzě takovú věc jini lidé kdež by měli na nich příklad bráti, tu pohoršení berú a poněvadž jsi ty starším a opatem téhož kláštera, téžž prikazujem, aby ty [. . .]^{h)} opatřil, ať hned všechny takové lehkosti a neřádové mezi kněžimi téhož zákona přestanú a k tomu je drž, ať se zachovají vedle řádu a vedle zákona téhož kláštera a tak jim pověz, jestliže by se kto tak nezachoval, žeť to víc žádnému trpěno nebude, ale že každý takový tresktán bude vedle provinění a vedle zpuosobu starodávneho téhož kláštera, neboť také do jiných všech našich klášteruov píšem prikazujíc, aby se též knězie v nich vedle řádu a zákona svého zachovali. I znaje v tom vuoli i rozkázanie naše zachovajž se, jakožť píšem jinak toho nečině. Dán v Praze v sobotu před svatým Urbanem královstvie našeho léta desátého.

Ad relacionem Johannis de Wrabie⁴⁾
procuratoris domini regis.

[*In dorso.*] Religioso Sigismundo abbati monasterii Teplensis⁵⁾ devoto nostro dilecto [!].

[*In inferiori parte in medio scriptum manu forsan saeculi XVII.*] Ladislaus [!] rex Boemiae mandat Sigismundo abbati Teplensi religiosum aliquem ob excessus graves custodiae carceris mancipandum.

[*In parte superiori manu forsan saec. XVI. additum.*] Strany přestupků bratrských.

^{h)} inter «ty» et «opatřil» desunt per devoracionem a vermibus duae litterae, quarum fragmenta illegibilia supersunt.

⁴⁾ Joannes Thukša de Vrabí, procurator regis annis 1481-1482.

⁵⁾ Cf. litteras I, nota 2.

Quia hoc est unicum documentum lingua Bohemica exaratum, pro lectoribus extraneis versionem Latinam modernam adiungimus.

Vladislaus dei gratia Bohemiae rex, Moraviae marchio etc. Devote noster dilecte. Cum habeas teneasque in carcere sacerdotem propter dedecus et delictum, quod fecerat inprimis contra dominum deum etiamque contra regulam vestram, eapropter praecipimus tibi, ne eundem sacerdotem dimittas, sed ut eo modo procedas, ut sacerdos ille iuxta delictum suum et secundum ordinem et regulam vestram puniatur, ne idem noscentes et videntes alii tale latrocinium et dedecus committere conentur. Item certiores facti sumus, quod sacerdotes in praefato monasterio turpiter versantur et leviter se gerunt, qua re alii homines, quibus vita eorum exemplo proponenda esset, scandalizantur. Et quia tu es senior et abbas monasterii praedicti, mandamus tibi providere, ut statim omnes tales levitates et turpes mores inter sacerdotes eiusdem regulae cessent et ut ad hoc eos teneas, ut secundum ordinem et regulam eiusdem monasterii se gerant, eisque dicas, quod nemini hoc praeceptum negligenti indulgebatur, sed unusquisque secundum delictum et modum antiquum eiusdem monasterii punietur. Nam etiam in omnia cetera monasteria nostra scribentes mandamus, ut sacerdotes in eis secundum ordinem et regulam suam se gerant. Tu noscens voluntatem et mandatum nostrum ita te geras, ut tibi scribimus, secus nullatenus facturus. Datum Pragae sabbato ante sanctum Urbanum regni nostri anno decimo [= 1481 maii 19.].

VIII.

1482 sept. 18. Windberg

Udalricus abbas Windbergensis et in circariis Bavariae, Boemiae, Moraviae et Austriae visitator unicus Sigismundo abbati Teplensi, priori et toti conventui eiusdem monasterii certa praecepta iniungit.

Copia anni 1621 in libro ms. chart. Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 320^v-321^v cum superscriptione: N. 134. Litterae d. abbatis Windbergensis visitatoris annui, monentis servare tria vota essentialia, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Nos Udalricus¹⁾ divina permissione abbas in Windberg ordinis Praemonstratensis Ratisponensis diocesis[!] in circariis Bavariae, Boemiae, Moraviae et Austriae praenotati ordinis unicus visitator salutem in domino et studiosam in commissis diligentiam adhibendi. Reverende pater ac domini conventuales praeamandi. Cum gressus nostros sacrae visitationis in vestrum monasterium certis nunc intercedentibus causis in praesentiarum complere non possumus, ne tamen visitationis munus sub silentio praeterire videamur, scriptis nos excessibus et deformitatibus, si quae fuerint, quantum cum Deo possemus et in nobis est obviare viamque salutis et honoris aperire volentes, vobis in meritum salutaris obedientiae et sub poenis ordinis districte praecipiendo mandamus inprimis domino abbati tanquam capiti firmiterque iniungimus, ut ab omnibus vestris fratribus tria essentialia ac substantialia inviolabiliter conservari constituatis. Conventum vestrum ac quemlibet conventus in refectorio seorsum comedere ac inibi lectionem mensae iuxta regulam patris nostri sancti Augustini audire^{a)} compellatis. De omnibus redditibus et vestri monasterii proventibus coram priore, suppriori ac ceteris^{b)} senioribus plenarie faciatis, ne aliter inventus ab temporalium administratione amoveamini. Dehinc volumus et sub excommunicationis poena vobis mandamus, ut de talliis cum domino nostro reverendissimo domino Huberto abbate Praemonstratensi²⁾, eius capitulo generali aut

^{a)} audire vel aliud verbum simile deest in cop.

^{b)} caeteris in cop.

¹⁾ Udalricus IV. Hummel 1467-1496.

²⁾ Hubertus de Monthermé 1470-1497.

visitatore protunc existente infra hinc et Pentecostes proxime venturum festum [= 18. maii 1483] legitimam contentationem faciatis. Ac demum volumus et demandamus, ut vos secundum Deum et regulam nostram et nostri ordinis statuta canonice regatis increpando, corrigendo, si qua in vestris religiosis increpanda, corrigenda repereritis. Deinceps praecipimus et mandamus domino priori³⁾ ac alteri cuicunque conventum regenti, chorum, conventum frequentetis et omnes horas canonicas diurnas et nocturnas devote attenteque cum ceteris^{c)} fratribus cantetis ac alia caeremonialia religionis, prout ad vestrum spectat officium regulariter conservetis a vestrisque conventualibus faciatis observari. Sintque vestri conventuales sub clausura debita, ne detur occasio vagandi. Postremo vobis, praetactae religionis fratribus, praecipimus, quatenus domino abbati, priori aliisque vobis superioribus in omni religione auscultetis reddendo vota vestra, quae distinxerunt labia⁴⁾. Ad chorum, dormitorium, refectiones etc. iuxta regularem institutionem locis et temporibus debitis conveniatis aliaque religionem decentia sine murmure et rancore impleatis semper pacem et humilitatem cum vera obedientia, ut salutis expectat augmentum vigilantius sectando, quae sine contradictione praecipimus, ut praemittitur, observari. Pluraque alia discretionibus domini praelati et prioribus linquenda praesentibus supersedimus. Datum ex nostro monasterio⁵⁾ decimo octavo die septembris anno domini M° CCCC° LXXXII°.

Idem qui supra^{d)}.

Reverendo in Christo patri ac domino domino Sigismundo⁶⁾ abbati, priori totique conventui in Tepla fratribus nobis praeamandis.

IX.

1483 ian. 20. Pragae.

Vladislaus rex Bohemiae Joanni de Kolovraty, administratori archiepiscopatus Pragensis de reformatione monasterii Teplensis.

^{c)} caeteris in cop.

^{d)} Hoc loco stetit in originalibus litteris nomen abbatis Windbergensis ut coniici licet.

³⁾ Nomen ignoratur.

⁴⁾ Cf. Ps. 65,13: «Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea».

⁵⁾ i.e. Windbergensi.

⁶⁾ Sigismundus Hausmann abbas Teplensis 1459-1506.

Copia vidimata in instrumento publico die 1. ian. 1486 dato, perg., in archivo monasterii Teplensis (num. 177) hodie in arch. regionali status Pilsnensi (num. 191).

Copia huius copiae in lib. ms. chart. anni 1621 Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 105^r-106^r cum superscriptione: Decretum Wladislai regis, datum R. D. Joanni de Colowrat pro reformatione conventus Teplensis, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Wlatislaus[!]¹⁾ dei gracia rex Bohemie, marchio Moravie, Lucemburgensis et Slesie dux ac Lusacie marchio etc. Notum facimus tenore presencium quibus expedit universis. Inter varias nostri regni curas, quibus cor nostrum quotidiana sollicitudine pro subditorum salute distrahitur, ad statum Premonstrantensis ordinis, quem suis in monasteriis magna ex parte per regnum nostrum correccione atque reformatione audimus indigere aciem nostre mentis precipue dirigimus dantes intentam operam quantum nobis ex alto permittitur, ut scandala a fratribus eiusdem ordinis ubi intelligimus avertamus et suspecta in res sinceras providis convertamus remediis, Cum igitur ad nostrum pervenit auditum fratres prefati ordinis in monasterio Töplensi²⁾ caritatis vinculum, regularem vitam et tam sancte religionis disciplinam negligencia transire, considerantes idipsum in derogacionem honoris nec non gravem eiusdem ordinis infamiam vergere posse, ipsius igitur dispendiis obviare cupientes pensata itaque multiplici laudabilium virtutum et eximie industrie atque maturitatis, qua nobilem atque honorabilem Johannem de Colowrat³⁾ archiepiscopatus Pragensis administratorem devotum nostrum dilectum in agendis et fideliter prosequendis legacionis officiis evidenter sumus experti, ipsum animo deliberato et ex certa sciencia auctoritate regia fecimus et creavimus et presencium vigore litterarum facimus et creamus modo, via et forma, quibus melius fieri potest nostrum verum et legitimum procuratorem, actorem, negotiorum gestorem et nuncium specialem dantes et concedentes eidem plenam et omnimodam auctoritatem nostro nomine abbatem dicti monasterii ratione sui officii aut alium quemcunque cuius interest super reformatione dicti conventus et fratrum eiusdem de parochiis revocatione facienda requirendi et fratres ipsos conventuales tam salubri tractatui reformationis contrariantes ab eodem loco amovendi, alios probate regule et

¹⁾ Vladislaus II. rex Bohemiae 1471-1516, ab anno 1490 etiam rex Hungariae.

²⁾ Teplá.

³⁾ Joannes de Kolovraty, administrator archiepiscopatus Pragensis, annis 1469-1481 simul cum Joanne de Krumlov, annis 1481-1483 simul cum Venceslao de Planá.

huiusmodi sacre religionis fratres ydoneos eorundem in locum constituendi, omnia et singula alia faciendi, expediendi, exequendi et perficiendi, que ad huiusmodi reformationis conservacionem necessaria fuerint et opportuna, que nos facere possemus aut eciam faceremus, si presencialiter interessemus eciam si mandatum exigant speciale et expresse de iure vel consuetudine mencio foret aliqua facienda, ratum et gratum auctoritate regia firmiter et inviolabiliter servaturi quicquid in premissis per nominatum nuncium et legatum nostrum actum, factum et reformatum fuerit quomodocunque. Presencium sub nostri regalis sigilli appressionem testimonio litterarum. Datum Prage die vigesima mensis ianuarii anno domini millesimo quadringentesimo octogesimo tercio, regni nostri anno duodecimo^{a)}.

Ad mandatum domini regis.

X.

1483 ian. 20. Prage

Vladislaus rex Bohemie Sigismundo abbati et conventui monasterii Teplensis de reformatione monasterii Teplensis.

Copia vidimata in instrumento publico die 1. ian. 1486 dato, perg., in archivo monasterii Teplensis (num. 177), hodie in arch. regionali status Pilsnensi (num. 191).

Copia huius copiae (cum aliquibus mendis) in lib. ms. chart. anni 1621 Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 106^{r-v} cum superscriptione: Littera Wladislai regis d. abbati et conventui Teplensi missa reformationem futuram insinuans, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Wladislaus¹⁾ dei gracia Bohemie rex, marchio Moravie etc. Honorabili et religiosi Sigismundo²⁾ abbati et fratribus monasterii Töplensis³⁾ ordinis Premonstratensis devotis nostris dilectis. Honorabilis atque religiosi. Cum tamquam ager dominicus cultores pudicie nitore preclaros argumentose probitatis munere preditos et nullius inquinamenti labe respersos exigit sancta ordinis vestri religio, ut sub ea virtutum domino

^{a)} Post duodecimo sequitur in copia vidimata Adiuncto eidem littere in fine.

¹⁾ Cf. litteras num. VI, nota 3.

²⁾ Cf. litteras num. I, nota 2.

³⁾ Teplá.

militantes alios ad divine maiestatis obsequium trahant per exemplum. Propterea circa eundem ordinem, quem in domo domini prelucere conspicimus libenter regiam sollicitudinem et operam quam possumus adhibemus, ut nullius inibi subcrescientis vastabilis herbe contagio eius obnubilet decorem, sed Deo propicio protegatur a noxiis salubria semper incrementa suscipiat et ad ipsum devocionis integritas a Christi fidelibus habeatur. Licet autem vos ad cultum divini nominis mancipati, quid saluti animarum expediat, quid honori ecclesie debeatur, quidve ordinis vestri felix status exposcat in mentibus vestris poteritis ex vobis ipsis colligere, si circa id rationabilem adhibere volueritis intellectum. Premissis tamen attentis inprimis tibi abbati recolimus dedisse in mandatis, ut sub claustralis discipline iugo fratres tui conventus, ut audivimus, per parochias relaxatis habenis vagantes subducentes et in aliis reprobis actibus, in quibus correptione et reformatione conventus tuus indigeret, intentam operam adhiberes, ne in assumpte religionis obprobrium[!] et salutis proprie detrimentum in scandalumque aliis forent, sed quod in hac parte tibi tuisque fratribus mandavimus, id efficaciter adimplere non sine nostri mandati contemptu et iactura vestri ordinis omisistis. Unde licet enormis culparumstrarum gravitas grandium onera penarum importet, tamen quia perniciem nolumus vestram, sed intendimus vestre providere saluti vestrisque dispendiis regia benignitate obviare. Quapropter nobilem atque honorabilem Johannem de Colowrat⁴⁾ archiepiscopatus Pragensis administratorem devotum nostrum dilectum virum utique discretum et maturitate conspicuum de cuius industria et circumspeccione plenam fiduciam obtinemus ad vos duximus destinandum, ut Deo previo et eius studio diligenti mediante status vestri ordinis et sancte religionis in vestro conventu solide reformetur ne de cetero alicuius subiaceat dispendio lesionis vel eius nitor sidereus aliquibus deformatis nebulis obducatur. Ideoque vobis seriose regia auctoritate mandamus, sicut caram habetis gratiam nostram et indignacionem regiam cupitis evitare, animos vestros promptos[!] ad tam salubre negotium reformationis exhibeatis dictoque nostro in hac parte procuratori negociorum gestori et nuncio speciali super hiis, que vobis ex parte nostra dixerit et preceperit devotis mentibus intendatis et plenarie obedire curetis contradiccione, appellacione seu alio obstaculo quovis procul moto alioquin contra inobedientes potestatis regie brachium pro

⁴⁾ Cf. litteras num. IX, nota 3.

opportunitate extensuri. Datum Prage die vigesima mensis ianuarii anno domini etc. octuagesimo tercio regni nostri anno duodecimo^{a)}.

Ad mandatum domini regis.

XI.

1483 ian. 28. Pragae

Vladislaus rex Bohemiae a praeposito Mildenfurdensi quatuor vel sex fratres ad monasterium Teplense mittendos exoptat.

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 107^{r-v} in bibliotheca monasterii Teplensis cum superscriptione: Littera regis Wladislai, quam praeposito Milfurdensi[!] per dd. abbates misit, petens 4^{or} vel sex fratres mitti.

Wladislaus¹⁾ dei gratia Boemiae rex, marchio Moraviae etc. honorabili et religioso N.²⁾ praeposito monasterii Milfurdensis[!] ordinis Praemonstratensis, devoto nobis dilecto.

Honorabilis atque religiose nobis sincere dilecte. Cum sancta tui ordinis religio cultores exigit pudicitiae nitore praeclaros et argumentosae probitatis munere praeditos, ut sub ea virtutum domino militantes alios ad divinae maiestatis obsequium trahant per exemplum, sane itaque ad nostrum pervenit auditum post salubrem reformationem in monasterio Teplensi³⁾ Pragensis diocesis^{a)} tui ordinis factam perpauca inibi fratres claustralis disciplinae iugum subiisse alios vero in assumptae religionis opprobrium et salutis propriae detrimentum abiisse et exinde dictum locum in fratribus regularis vitae plurimum deficere. Nos enim huiusmodi ipsius monasterii dispendiis obviare cupientes tuam hortamur devotionem et tanto quidem confidentius quanto ad id, quod desideramus te nimirum debitum honestatis religionis tuae inducit, quatenus quatuor vel sex fratres tui ordinis observantiales pro oportuno tempore ad dictum monasterium Teplense mittas, qui regulari vita, honesta atque exemplari conversatione sua fratres ibidem statuta et ordinis regulas

^{a)} Post duodecimo sequitur in copia vidimata Adiuncto in fine eiusdem littere.

^{a)} diocesis in cop.

¹⁾ Vladislaus rex Bohemiae 1471-1516.

²⁾ Joannes Görtingen 1462-1483, praepositus Mildenfurtensis.

³⁾ Teplá.

instruant, ut sic in vita regulari et solitae charitatis et pacis umbra creatori nostro deservire valeant et ad eos devotionis integritas a Christi fidelibus habeatur. Sicque devotio tua super hoc agat, unde merito possit commendari et nos constituas tibi et ordini tuo ad benevolentiam et favorem promptiores. Datum Pragae die vicesima octava mensis ianuarii anno M CCCC LXXXIII anno regni nostri duodecimo.

P.S. Mittimus etiam super eodem negotio sollicitando apud tuam devotionem hos religiosos abbates⁴⁾, praesentium exhibitores, devotos nostros dilectos, quos optamus nostri intuitu benivoli promptitudine favoris prosequaris, circa huiusmodi nostri voti consequendum effectum, nobis ad complacentiam singularem et bene gratam.

XII.

1483 febr. 2. Pragae

Vladislaus rex Bohemiae Joannem Strahoviensem et Sigismundum Teplensem abbates in Saxoniam proficiscentes in itinere commendat.

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 106^v-107^r, cum superscriptione: Wladislai regis litterae patentes commendatitiae, quibus dd. abbates in Saxoniam proficiscentes in itinere commendatos cupit, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Wladislaus¹⁾ dei gratia Boemiae rex, marchio Moraviae, Lucemburgensis et Slesiae dux ac Lusatiae marchio etc. universis et singulis, ad quos praesentes nostrae litterae pervenerint non subditis nobis sincere dilectis salutem et regiam benevolentiam, subditis autem fidelibus nostris dilectis gratiam nostram et omne bonum. Cum in praesentiarum honorabiles et religiosi Joannes Strahoviensis²⁾ et Sigismundus Teplensis³⁾ abbates ordinis Praemonstratensis praesentium exhibitores devoti nostri dilecti certis nostris et ordinis ipsorum negotiis postulantiibus versus Saxoniam proficiscuntur, nos cupientes eosdem in huiusmodi ipsorum progressu itineris plena ubique securitate gaudere atque favoribus pro-

⁴⁾ Nempe Joannem abbatem Strahoviensem et Sigismundum abbatem Teplensem, cf. litteras proxime sequentes.

¹⁾ Vladislaus rex Bohemiae 1471-1516.

²⁾ Joannes Starustka abbas Strahoviensis 1470-1486.

³⁾ Sigismundus Hausmann abbas Teplensis 1459-1506.

sequi benevolis, non subditos affectibus hortamur quam sinceris, subditis autem nostris expresse damus in mandatis, quatenus ipsos dum et quando ad vos declinaverint nostri intuitu grato animo suscipiatis, favorabiliter tractetis, cum ipsorum quoque familiaribus, equis et rebus omnibus sine cuiuslibet exactionis onere omnique impedimento semoto per nostra et nostrae iurisdictionis loca libere et secure ire, redire inibique morari et stare permittatis, de salvo et securo conductu si opus fuerit et vos duxerint requirendos liberaliter provideatis atque in ceteris^{a)} omnibus, quae promotionem itineris ipsorum censentur aspicere promotivam et benivolam ostendatis voluntatem. Non subditi ad complacentiam nobis acceptam et bene gratam, subditi vero gratiae nostrae sub obtentu id efficere omnino studeatis. Datum Pragae die secunda mensis februarii anno domini M° CCCC° LXXXIII° regni nostri anno duodecimo.

XIII.

1483 febr. 5. Pragae

Administratores archiepiscopatus Pragensis Joannem Strahoviensem et Sigismundum Teplensem abbates Joanni praeposito Mildefurtensi commendant.

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. 1, fol. 107^r-108^r, cum superscriptione: Litterae commendatitiae d. Joannis de Colowrat et d. Wenceslai de Plana, archiepiscopatus Pragensis administratorum, ad dominum praepositum Mildefurtensem, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Joannes de Colowrat¹⁾ praepositus ecclesiae Pragensis et Wenceslaus de Plana²⁾ archidiaconus eiusdem ecclesiae, decretorum doctor, administratores archiepiscopatus Pragensis venerabili et eximio viro domino Joanni³⁾ praeposito monasterii in Mildefurt ordinis Praemonstratensis amico nobis observando.

Quicquid honoris et reverentiae possumus cum affectu salutis, venerabilis et eximie pater. Cum Deo volente plura monasteria quorumlibet

^{a)} caeteris in cop.

¹⁾ Cf. litteras IX, nota 3.

²⁾ *Idem*.

³⁾ Cf. litteras XI, note 2.

ordinum in dioecesi^{a)} nostra Pragensi ad sui consurgant hisce temporibus reformationem, quae retroactis annis tam atrocitate hostium et inimicorum ecclesiae catholicae quam etiam bellorum potentia demollita et fratribus dispersis bona monasteriorum occupate iamiam sub domino et principe catholico respirare ad sui restorationem incipiunt feliciter. Unde et monasterium Teplense⁴⁾ ordinis Praemonstratensis, quod Deo volente plus inter alia sua gaudet integritate et conservatione, tam in personis quam etiam aedificiis et possessionibus cum debito regulae suae, tum etiam ad vota serenissimi principis et domini nostri gratiosissimi domini regis Wladislai⁵⁾ reformationi intendens, quo sibi et saluti suae imo et bonis monasterii melius consuleret, aliqualem etiam nobis praesentibus, qui ut nuntii maiestatis regiae illo venimus, reformationem cum effectu nuper susceperunt. At demeritis hominum bella et tempora mala tam diu in regno steterunt nostro, donec fratres in exilio vitam finirent. Itaque neque unus, qui regularem vitam et observantialem cognosceret, inter fratres modernos habetur. Eapropter viri isti et patres venerabiles abbates⁶⁾ fratrum ordinis Praemonstratensis praesentium exhibitores^{b)} tum maiestatis regiae domini nostri gratiosissimi suggestionem cum nostra, qui vices ordinarias quantumlibet immeriti in archiepiscopatu Pragensi gerimus suae non parcentes fatigae devotionem vestram accedunt, quos venerandae paternitati vestrae commendamus tanto amplius quanto illos omni commendatione dignos arbitramur et cognoscimus. Quibus veneranda paternitas vestra consilio esse velit pariter et auxilio seseque votis eorum concedere per huiusmodi reformationis institutionem et fratres aliquos saltem ad tempus aliquod eisdem concedere, quorum informatione residuum observantiae cognoscant et observent. Pro quo meritum ad Deum paternitas vestra indubie reportabit et serenissimo principi et domino nostro regi benivolentiam singularem nobisque favorem non mediocrem ostendet, pro quibus nos sibi obligatos ad aequas habebit vias perpetuo et longe maiores. Ex castro Pragensi anno domini M CCCC LXXXIII die vero quinta mensis februarii nostri administracionis officii sub sigillo.

^{a)} dyocesi, in cop.

^{b)} exhibitorem. in cop.

⁴⁾ Cf. litteras V, nota 6.

⁵⁾ Cf. litteras VI, nota 3.

⁶⁾ Nempe Joannes Starustka abbas Strahoviensis et Sigismundus abbas Teplensis, cf. litteras XI, nota 4 et litteras XII, notae 2 et 3.

XIV.

1483 febr. 19. Calbe an der Saale

Ernestus Magdeburgensis et Halberstadensis ecclesiarum administrator Joanni de Kolovraty et Venceslao de Plana administratoribus archiepiscopatus Pragensis de reformatione [ordinis Praemonstratensis] in Bohemia scribit.

Copia vidimata in instrumento notariali die 1. ian. 1486 dato, perg., in archivo monasterii Teplensis (num. 177), hodie in arch. regionali status Pilsnensi (num. 191).

Copia huius copiae in lib. ms. chart. anni 1621 Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 108^v-109^r cum superscriptione: Littera responsoria Ernesti ducis Saxoniae et Magdeburgensis et Halberstadensis ecclesiarum administratoris, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Ernestus¹⁾ dei gracia Magdeburgensis et Halberstadensis ecclesiarum administrator, dux Saxonie, lantgravius Thuringie ac marchio Misnensis prestabilibus atque magnificis dominis Johanni de Colowrat²⁾ preposito et Wenceslao de Plana³⁾ archidiacono ecclesie Pragensis, administratoribus archiepiscopatus Pragensis specialibus nostris dilectis felices ad vota successus cum salute et in vinea domini laborare cum profectu. Prestabiles viri. Quantum nobis ex litteris caritatum vestrarum gaudii accesserit nec scriptis consequi possumus. Delectat enim audire nobilem serenissimi illustrissimique principis domini Wlatislai^{a)}⁴⁾ regis Bohemie etc. provinciam iam antea longis adversitatibus distractam aliquando sese recolligere ac fidem orthodoxam, que annis compluribus nutare visa est iamiam per sanctam hanc reformationem fortiter consurgere. Non ambigimus quodque quidem ad hoc usque tempus nec armis et bellorum viribus effici potuit, nunc per Deo devotos et patres religiosos, qui vita et exemplo ceteris preeant poterit consumari. Facilis admodum per exemplum via est, verum sepenumero, quod vi haberi non potest, benivolencia acquiritur. Quare zelum animorum vestrorum ad cultum divinum in domino commendamus obsecrantes vos, ne tam pium opus,

^{a)} sic in copia loco Wladislai.

¹⁾ Ernestus administrator Magdeburgensis ab anno 1475, postea archiepiscopus, administrator Halberstadensis ab anno 1480, obiit 1513.

²⁾ Cf. litteras IX, nota 3.

³⁾ Cf. litteras IX, nota 3, litteras XIII, nota 2.

⁴⁾ Cf. litteras VI, nota 3.

quod in salutem multorum valet redundare levi dispendio intermittatis scientes quod nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit⁵⁾. Fecimus quantum poteramus diligenciam, ut patres abbates sui voti compotes redirent, tres fratres viros devotos eis addidimus. Optassemus plures, nisi prepositi nostri Magdeburgensis⁶⁾ excusacionem tam rationabilem invenissemus. Ait enim sese hoc anno plus quam tredecim fratres ex suo solo conventu ad diversa loca misisse. Attamen tempore estivali Deo largiente post capitulum⁷⁾ ad festum Corporis Christi in civitate nostra Magdeburgensi celebrandum, si caritates vestre plures fratres a nobis et a capitulo petiverint, votis vestris non deerimus. Quitquit [!]^{b)} enim pro laude Dei, sue ecclesie et regie maiestatis proque honore incliti regni Bohemie efficere possumus, optamus promptissimi semper inveniri. Datum ex castro nostro Calvis⁸⁾ decima nona mensis februarii anno domini etc. octogesimo tercio.

XV.

1483 febr. 19. Magdeburg

Andreas praepositus monasterii beatae Mariae Magdeburgensis Joanni de Kolovraty et Venceslao de Plana administratoribus archiepiscopatus Pragensis de reformatione [ordinis Praemonstratensis] in Bohemia scribit.

Copia vidimata in instrumento notariali die 1. ian. 1486 dato, perg., in archivo monasterii Teplensis (num. 177), hodie in arch. regionali status Pilsnensi (num. 191).

Copia huius copiae in lib. ms. chart. anni 1621 Annales monasterii Teplensis, Tom. I, fol. 109^{r-v} cum superscriptione: Littera responsoria domini praepositi Magdeburgensis, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Frater Andreas¹⁾ servitor fratrum prepositus monasterii beate Marie virginis ordinis Premonstratensis Magdeburgensis venerabilibus et egre-

^{b)} sic in copia, loco quidquid.

⁵⁾ Cf. II. Tim., 2,5.

⁶⁾ Andreas Witte, praepositus monasterii B.M.V. Magdeburgensis 1482-1490.

⁷⁾ Hic mentio fit de capitulo sic dicto annali circariae Saxoniae diebus 2.-4. iunii 1483 celebrando.

⁸⁾ Calbe an der Saale in Germania, ubi quondam castrum archiepiscoporum Magdeburgensium existebat.

¹⁾ Cf. literas XIV, nota 6.

giis viris domino Johanni de Colowrat²⁾ preposito necnon Wenzeslao [!] de Plana³⁾ archidiacono decretorum doctori, administratoribus archiepiscopatus ecclesie Pragensis, dominis meis multum precolendis oracionum suarum utinam devotarum participacionem. Venerabiles preclari prestantissimique domini. Sollicitacionis vestre amplentende [!] littere, quibus religionem nostram erigendam promovendam intelligo affectuosissime suscepi et recreacionis non parum in me excitaverunt augmentum, quas bene intelligens congratulor vestris desideriis piis non certe sine spiritus sancti immissione inspiratis. Et quia prout nunc ad plenum eundem dominum abbatem⁴⁾ ad nos missum adiuvare non possumus quemadmodum informavimus eundem, quoniam inopinatus fuit adventus eius et alterius⁵⁾ cum eo venientis. Dedi tamen cum mihi coniunctis patribus vicinioribus⁶⁾ ad hoc vocatis tum intuitu promocionis laudem Dei et religionis nostre incrementum, tum ad piam sollicitacionem illustrissimi regis⁷⁾ et vestram certos fratres ad hoc nobis visos utiles usque ad capitulum nostrum annale infra octavam Corporis Christi⁸⁾ Magdeburg celebrandum, ut interim videatur de necessariis pro reformatione bona. Et quod tunc dominus abbas Teplensis⁹⁾ eciam redeat si visum regie maiestati et vobis fuerit referendo et ulterius sollicitando, que et quomodo agantur et qualiter procedendum fuerit et nos tunc cum adiutorio Dei quantum in nobis fuerit pro profectu de auxilio maiori curabimus. Vestras tamen preclaras dominaciones rogo velitis gratum accipere prout nunc non convenienter plures potuimus fratres emittere, ut scripsi, futuro capitulo nostro¹⁰⁾ providebimus si aliquo modo potuerimus. Quare hortor vos et deprecor obnixius quo potero habere ordinem nostrum commendatum et promotum, cetera eciam loca ordinis nostri ad regularem observanciam adiuvando ob spem participacionis bonorum exinde proveniendorum. Non plura pro nunc, sed valeatis vestre preclare dominaciones mihi ut vestro minimo ad libitum semper precipiendo. Ex Magdeburg die Mercurii decima nona mensis februaryi nostri sub sigillo anno domini octogesimo tercio etc.

²⁾ Cf. litt. IX, nota 3.

³⁾ Cf. litt. XIII, nota 2.

⁴⁾ Sigismundus Hausmann abbas Teplensis, cf. litt. I, nota 2 et litt. XIII, nota 6.

⁵⁾ Cf. litt. IV, nota 3.

⁶⁾ Aliqui praepositi monasteriorum circariae Saxoniae.

⁷⁾ Cf. litt. VI, nota 3.

⁸⁾ Nemp 2.-4. iunii 1483, cf. litt. XIV, nota 7.

⁹⁾ Cf. litt. I, nota 2.

¹⁰⁾ Cf. litt. XIV, nota 7.

XVI.

1483 [iunii 2.-4.] Magdeburg

Andreas praepositus B.M.V. Magdeburgensis ceterique praelati capituli unionis circariae Saxoniae ordinis Praemonstratensis Sigismundo abbati Teplensi de reformatione in monasterio Teplensi scribunt.

Orig. chart. sign. No 178 in archivo monasterii Teplensis, hodie in arch. regionali status Pilsnensi. Sigillum quondam appressum deest.

Copia anni 1621 in libro ms. chart. Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 109^v-110^r in bibliotheca monasterii Teplensis.

Cuius gloriosa sollemnia pie veneramur in terris, eius visione gaudere mereamur in celis oracionumque utinam devotarum sedulitatem.

Intelleximus, optime pater¹⁾, reverencie vestre caritativas litteras, in quibus bonum vestrum zelum ad laudem dei regularis observancie florere^{a)} consideramus et bene facitis. Condecet enim pastorem gregis sue curam agere. Et quantum in nobis esset libenter cooperaremur nisi hoc unum superesset, quod in messem alterius falcem mittere non audemus. Gaudemus enim privilegiis in circaria nostra et ob id si volumus servari nostra condignum est, ut et aliis dimittamus sua et nulli simus in preiudicium. Est namque monasterium vestrum sub domino Premonstratensi sine cuius consensu aut domini pape nichil stabile nobis attemptandum est. Ergo pia paternitas vestra iaceat [!] reformationi vestri monasterii ut sapiens architectus firma fundamenta et indultum acquirat facillime, quia potest, ut secure possemus nos de vobis intro-mittere secundum ordinem nostrum et non alias ac de post nobis dare litteram unionis servande, cuius formam copiatam vobis transmisimus, ut sic sine infestacione cuiusquam conglutinati bitumine unionis labore-mus indefessi pro progressu ad laudem dei et exemplum aliorum. Experti enim sumus astuciam observanciam odiencium, qui quod nos magno labore edificavimus ipsi quoniam natura humana prompcior est ad malum quam ad bonum unico aggressu quasi gaudentes auctoritate reiciebant. Et quia non fecimus ea que desiderastis plures personas mittendo rogamus obnixe, ne ob id segnius agatis neque iudicetis hoc nos malo animo aut^{b)} tedio fecisse aut dimisisse sed non expeditis.

^{a)} «f» in «florere» scriptum loco prioris «con».

^{b)} Post «aut» sequitur deletum «de».

¹⁾ Id est abbas Teplensis Sigismundus, cf. litteras I, nota 2.

Letamur enim multum de conversione errantium et manum adiutricem porrigere talibus quantum nobis licet parati sumus, sed que non licent, hec eciam nec expediunt. A nobis tamen emissos, quos vobiscum adduxistis, ut vobis obedienciam manualemente usque ad revocationem prestant, consentimus per presentes propter maiorem diligenciam faciendam in hoc saluberrimo negocio et ne videamur non velle vos adiuuvare, sed plures personas non misimus, quoniam quo ad incertum satisfacisse dominum prepositum beate virginis Magdeburgensis iudicavimus. Benefaciat ergo paternitas vestra et se in hoc sic habeat, quo salutem animarum ex hoc procurari non dubitat mercedem ab omnium remuneratore^{c)} receptura. Et post firmam unionem habebitis nos ad vota qualiacunque paratissimos. Valeat vestra p[aternitas] cum omnibus commissis^{d)} domino semper placens rescribentes nobis per occurrentem certum cum commode^{e)} poteritis. Raptim ex Magdeburg in octava Corporis Christi anno etc. LXXX tercio sedente ibidem nostro annuali capitulo unionis circarie Saxonie²⁾ sub eiusdem unionis sigillo.

Andreas³⁾ prepositus monasterii beate Marie virginis Magdeburgensis ceterique prelati capituli unionis circarie Saxonie ordinis Premonstratensis.

[*In dorso*.:] Magnarum commendacionum reverendo ac devoto in Christo patri domino Sigismundo⁴⁾ monasterii Teplensis ordinis Premonstratensis condigno abbati nobis in Christo sinceriter dilecto.

[*Manu posteriori, forsan Venceslai Schilling monasterii Teplensis, additum*.:] Littera capituli provincialis Saxoniae anno 1483.

^{c)} Post «remuneratore» deletum «non dub [itat]».

^{d)} «commissis» correctum ex «commissos».

^{e)} in orig. scriptum «commodere», cum abbreviationibus pro «com» et «er».

²⁾ Cf. DOLISTA, Die Triennial- u. Annualkapitel der sächsischen Zirkarie des Prämonstratenserordens, An. Praem. L-1974, p. 93 sq.

³⁾ Andreas Witte praepositus B.M.V. Magdeburgensis 1482-1490.

⁴⁾ Cf. litteras I, nota 2.

XVII.

1483 sept. 6.

Bernardus abbas Gradicensis visitator in circariis Hungariae, Poloniae, Bohemiae et Moraviae Sigismundo abbati Teplensi de reformatione in monasterio Teplensi scribit.

Orig, perg. lat. sign. 174 in archivo monasterii Teplensis, hodie in Arch. regionali status Pilsnensi in pressula pergamenea pars superior sigilli abbatis Gradicensis Bernardi.

Copia in vidimatione data die 1. ian. 1486, perg. num. 177 in eodem archivo. (Hodie sub num. 191.)

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 110^v-111^r, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Bernhardus permissione divina abbas Gradicensis¹⁾ ordinis Premonstratensis Olomocensis²⁾ dyocesis per reverendissimum Hubertum³⁾ in Christo patrem et dominum dominum abbatem ecclesie et ordinis Premonstratensis supremum necnon venerabile eiusdem ordinis capitulum generale commissarius, visitator ac reformatore in regnis et circariis Hungarie, Polonie, Bohemie ac Moravie in plenaria auctoritate et potestate ad infrascripta cum clausula «coassumpto vobiscum aliquo nostri ordinis prelato etc.» constitutus et deputatus reverendo in Christo patri ac domino domino Sigismundo⁴⁾ abbati Teplensi ceterisque omnibus nostri ordinis personis salutem ac sacra [!] religione [!] incrementum cum gracie augmento. Cum enim, ut constat, nuper in capitulo generali nos recepisse litteras comissionum [!] pro circariis prefatis ad visitandum et reformandum in eisdem pro posse nostro pro exequendis mandatis in eisdem litteris contentis monasterium vestrum adisse et intrasse, religione veridica recepimus reformationem in iam dicto vestro monasterio, quam oculis nostris laudabilem vidimus vos ordinacione et mandato serenissimi domini regis⁵⁾ Bohemie et administratorum⁶⁾ sedis Pragensis

¹⁾ Bernardus abbas monasterii Gradicensis in Bohemoslovakia occurrit tantum annis 1477-1485. Fontes ordinis de ipso fere nihil sciunt.

²⁾ Olomouc, civitas in terra Moravia, in Bohemoslovakia, sedes episcopatus hodie archiepiscopatus.

³⁾ Hubertus de Monthermé abbas Praemonstratensis 1470-1497.

⁴⁾ Sigismundus abbas Teplensis 1459-1506.

⁵⁾ Vladislaus rex Bohemiae 1471-1516.

⁶⁾ Ioannes de Colovrat, praepositus ecclesiae Pragensis et Venceslaus de Plana, archidiaconus eiusdem ecclesiae, administratores archiepiscopatus Pragensis sede vacante.

per venerabiles patres capituli Magdeburgensis⁷⁾ incepisse, quod pium sanctum opus quantum nobis permittitur laudamus, approbamus et deo auxiliante persistente confirmamus et omnia acta^{a)} et facta in eadem reformatione et attemptata ratificamus dempta tamen dispersione antiquorum fratrum, qui ut percepimus et veraciter edocti sumus, vobis invito a regulari, laudabili et salubri vita se abstraxerunt. Quare in ipsis emendanda, corrigenda, punienda expressius vestram conscienciam oneramus. Et quia nos pro huiusmodi gloriosi operis conservatione minus sufficientes in oculis nostris videmur et tamdiu intendere ut opus esset si sufficientes essemus, pre magna occupacione non possumus sperantes tamen quod Deus, qui in vobis incepit opus, illud multum commendabile perficiet usque ad consumationem [!] et finem boni operis. Hinc est, quod nos de fideli vestra conversatione candide religionis et ordinis zelo plurimum confidentes auctoritate nostre commissionis vos coassumimus per presentes et coassumptum nobiscum esse volumus cum omnimoda potestate et auctoritate nostra ymmo verius superiorum nostrorum quoad monasterium vestrum et filiale Chotiessaw [!]⁸⁾ necnon omnes personas utriusque sexus ad eadem pertinentes dumtaxat quamdiu nostra commissio duraverit, decernimus mandantes vobis in virtute obediencie salutaris, quatenus hanc nostram assumptionem de vobis factam non faciatis irritam, sed cum diligencia commissionis litteras, quarum copias vobis relinquimus, in remissionem omnium peccatorum vestrorum exequi studiatis. Quarum tenorem in copiis volumus in presenti pro sufficienter expressum haberi ac si de verbo ad verbum presentibus inserte essent, ut refugium ad easdem habere possitis et ex eis elicere, que utilia et salutaria vobis et personis vestris et professoribus ecclesie noveritis et pro regulari vita oportuna. Liberacionem fratris Mathie Kawka per nos perpetuis carceribus¹⁰⁾ sentenciati et pro excessibus adiudicati iuxta statuta nostri ordinis domino Premonstratensi aut capitulo generali reservamus. In quorum omnium premissorum fidem et testimonium has litteras fieri fecimus et sigillo nostro appenso

a) acta scriptum supra lineam.

7) id est capituli annalis circariae Saxoniae, cf. litteras XVI, nota 2.

8) Chotesov.

9) Matthias Kawka, frater monasterii Teplensis, tantum hoc anno commemoratur. Sine dubio idem, qui commemoratur in litteris regis Vladislai die 19. maii 1481 datis, cf. hic superius litteras num. VII, nota 2.

10) De qualitate culpaе huius fratris certi non sumus.

communiri anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tercio die vero sexta mensis septembris^{b)}).

XVIII.

1486 maii 11. Pragae

Vladislaus rex Bohemiae Ernesto administratori archiepiscopatus Magdeburgensis de reformatione in monasterio Teplensi scribit.

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 112^v-113^r, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Wladislaus¹⁾ dei gratia Boemiae rex, marchio Moraviae etc. reverendo in Christo patri domino Ernesto²⁾, Magdeburgensis et Halberstadensis ecclesiarum administratori, amico nostro charissimo salutem et prosperos ad vota successus. Reverende pater, institutus divinitus sacer Praemonstratensis ordo, qui signanter in monasterio Teplensi³⁾ Pragensis dyoecesis^{a)} per fratres ibidem Deo famulantes post salubrem et providam eiusdem monasterii reformationem siderea claritate praelucere conspicitur nos vehementer inclinat abbatem⁴⁾ et fratres dicti monasterii intimis ut prosequamur affectibus et ad fovendum atque promovendum statum eorum prosperum libenter operam pro nostra regia benignitate adhibemus. Sana itaque cum monasterium praefatum plurimum in praesentiarum ut accepimus in fratribus patitur defectum, rogamus affectuose, quemadmodum alias ad nostra vota prompto favore ad praenominatum monasterium certos transmiserit fratres reverendissima paternitas vestra, cui ut debemus praesentibus gratiarum agimus actiones, velitis ipsius religionis atque nostri intuitu duos aut tres fratres regularis vitae dum et quando praefatus abbas Teplensis reverendissimam paternitatem vestram duxerit super hoc requirendam transmittere

^{b)} *dextrorsum super plica manu non multum posteriori*: Data facultas a visitatore abbate Gradicensi nostrum et filiae Chotie [ssoviense] monasteria usque ad infinitum tempus loco sui reformandi.

^{a)} *dyocaesis in cop.*

¹⁾ Cf. litteras VI, nota 3.

²⁾ Cf. litt. XIV, nota 1.

³⁾ *Teplá.*

⁴⁾ *Sigismundus, cf. litt. I, nota 2.*

atque in ceteris^{b)} quae conservationem reformationis ipsius monasterii aspicere videntur promotivam et benivolam eisdem abbati et fratribus ostendere velitis voluntatem, ut sic efficacius ipsius monasterii status, vestra intenta opera suscipiat prosperitatis augmentum et nos qui laetamur in eorundem fratrum prosperitate successuum, exinde quae grata reverendissimae paternitati vestrae processu temporis extiterint, eidem reddamur specialiter promptiores. Datum in arce nostra Pragae die undecima mensis maii regni nostri anno quintodecimo [= 1486 maii 11.].

XIX.

1486 maii 12. Pragae

Paulus Pragensis et Zderaziensis praepositus, Joannes decanus et capitulum ecclesiae Pragensis Ernesto administratori archiepiscopatus Magdeburgensis de reformatione in monasterio Teplensi scribunt.

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 113^{r-v}, in bibliotheca monasterii Teplensis.

Illustrissimo principi ac reverendissimo domino domino Ernesto¹⁾, Saxoniae duci, lantgravio Turingiae ac marchioni Misnensi, Magdeburgensis et Halberstadensis ecclesiarum administratori a sede apostolica deputato, domino semper observandissimo Paulus²⁾, Pragensis et Sderassiensis ecclesiarum praepositus, visitator, Joannes³⁾ decanus, decretorum doctores ac totum capitulum Pragensis ecclesiae devotas cum obsequiis orationes. Illustrissime princeps et reverendissime ac observandissime domine. Quia divino applaudente ac afflante numine felix observantiae satio in religione fratrum Praemonstratensium monasterii Teplensis⁴⁾ nostrae Pragensis dioecesis^{a)} uberes gignit fructus plurium saluti proficuos, id benignitatis vestrae auspicio gestum esse

^{b)} caeteris in cop.

^{a)} dioecesis, in cop.

¹⁾ Ernestus, cf. litteras XIV, nota 1.

²⁾ Paulus Paucek filius Stephani, Pragensis et Zderaziensis praepositus annis 1484-1498.

³⁾ Joannes de Krumlov, iurium doctor, decanus Pragensis annis 1469-1488. Cf. etiam litteras IX, nota 3.

⁴⁾ Teplá.

gaudentes cum gratiarum actione amplectimur. Rogamus quoque obnixius, dignetur pietas vestra eos fratres, qui prius missi existunt certos eius observantiae viros sermone valentes et opere de observantia eiusdem ordinis ex dioecesi^{b)}) Magdeburgensi ad ipsum Teplensem conventum gratiosius transmittere, quorum exemplo et monitis devotus ille coetus in sanctimonia perseverans salubres extendat propagines, gratum erit altissimo tale dignationis vestrae obsequium. Nos quoque singulariter si quid ex nostra valemus humilitate id totum et omne vestrae devovemus benignitati. Ex castro Pragensi XII mensis maii anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo sexto officii vicariatus sub sigillo.

XX.

1487 maii 14. Braine.

Hubertus abbas Praemonstratensis et capitulum generale Vladislao Bohemiae regi etc. de reformatione monasteriorum, signanter Teplensis, in Bohemia scribunt.

Copia chartacea de anno 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I., fol. 114^v cum superscriptione (in fol. 114^r): «Litterae reverendissimi generalis et capituli ad regem Vladislaum», in bibliotheca monasterii Teplensis.

Serenissimo ac illustrissimo principi metuendissimoque Vladislao¹⁾ dei gratia Boemiae regi, marchioni Moraviae etc., domino nostro gratiosissimo Hubertus²⁾ abbas Praemonstratensis et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale humillima recommendatione cum orationibus deo devotis. Serenissime ac illustrissime princeps et domine noster gratiosissime. Clara nobilitatis et magnificentiae principum memoria per haec gloriosa in conspectu dei et commendabilis apud deum et homines esse dignoscitur aeterna retributione digna cum ea faciunt, quae in augmentum divini cultus et conservationem religionis proveniunt animarumque salutem abundantius operantur. Cum igitur vestrae praeclarae maiestatis affectio, fama publica referente id exposcat, ut in vestro regno divinum servitium continuatur, religiones conserventur et

^{b)} dioecesi, in cop.

¹⁾ Vladislaus II. rex Bohemiae 1471-1516, ad anno 1490 etiam rex Hungariae.

²⁾ Cf. litteras VIII, nota 2.

personarum earundem^{a)}) reformatio procuretur in salutem animarum praesertim nostrae candidae religionis puritatem et munditiam denotantur altissimo gratiarum actiones referimus assidueque sumus et in dies erimus nostri creatori preces effundere pro tanto principe, quem dominus noster Ihesus Christus hodiernis temporibus ad conservationem status ecclesiastici et nostri ordinis reformationem contulit, unde etiam vestris litteris gratanter susceptis gavisi sumus et gaudemus. Quibus satisfaciendo ut in monasterio Teplensi³⁾) vestro in inclito regno constituto fratres regularem observantiam nostri ordinis ibidem degentes deo possint famulari ...^{b)}) iuxta ipsius nostri ordinis instituta et ad litterarumstrarum nobis directarum tenorem alios proprio abbati⁴⁾) Teplensi ibidem vivere recusantes iuxta reformationem ibidem factam ut aliis reformatis fore possint impedimento et tantae reformationis obumbrare videantur bravium, ipsos ab obedientia proprii praelati absolvimus et absolutos decrevimus eosque relinquentes obedientiae, cui iussistis assignari. Insuper vestram regalem celsitudinem supplicamus, quatenus monasteria nostri ordinis vestro in regno constituta atque personas eorundem et signanter dictum monasterium Teplense in postulandis benigniter exaudire et favoribus gratis provide seu provideri facere nosque et ordinem nostrum semper et in omnibus recommissos habere velitis et dignemini. Et nos preces continuas apud altissimum effundemus pro vestra regia maiestate, quam Deus conservet in aevum. Ex monasterio sancti Evodii anno M CCCC LXXXVII die 14. mensis maii sedente ibidem nostro capitulo generali.

XXI.

1488 iun. 12. Gottesgnaden

Andreas praepositus monasterii B.M.V. Magdeburgensis Sigismundo abbati Teplensi de librorum gradualis et antiphonalis conscriptione et diversis fratribus monasterii Teplensis scribit.

^{a)} «earundum», *cop.*

^{b)} *Locum vacuum in extensione aliquot litterarum, in copia.*

³⁾ *Teplá.*

⁴⁾ *Sigismundus Hausmann, abbas Teplensis 1458-1506 cf. etiam litteras I, nota 2.*

Orig. chart., partim humiditate laesum, sigillum praepositi Andreae quondam appressum deest, sign. No 185 archivi monasterii Teplensis, hodie in Arch. regionali status Pilsnensi.

Oraciones in Christo utinam devotas assiduamque recommendacionem cum caritate prestanti. Reverende pater, literas v[est]re r[everende] p[at]ernitatis per dominum Erhardum¹⁾ receptas cum informacione eiusdem summopere intelleximus atque iuxta tenorem earundem nos accuratissime obtemperare conamur, puta de librorum gradualis et antiphonalis conscripcione²⁾, quos per legantissimum[!] scriptorem v[est]re p[at]ernitati scribendos quodammodo convenimus, ut lacius v[est]ram p[at]ernitatem dominus Erhardus informabit. Reliquum, reverende pater, per venerabilem patrem Johannem Meszen³⁾ v[est]re p[at]ernitati peroptime notum, quondam prepositum sancti Wiperti in Quedelingborch, nunc vero prepositum in Wedinghuszen in diocesi Coloniensi, accepimus certas literas super fuga et apostasia[!] fratrum v[est]re p[at]ernitatis, videlicet Pauli⁴⁾ et Egidii⁵⁾, qui a reverendissimo domino abbate Premonstratensi⁶⁾ commissionen[!] obtinuerunt, ut in certis monasteriis cis Renum sua auctoritate sunt assumpti, videlicet Paulus in dicti patris Johannis Meszen in Wedinghuszen circa Susatum⁷⁾ in Westfalia et Egidius in monasterio Senensi⁸⁾ non longe distant sunt assumpti. Qui per dicti patris Johannis preces nobis gratiam impetrare petunt. Quare reverende pater eos revocavi nomine v[est]re p[at]ernitatis et [gr]aciam^{a)} repetendi invenire debeant, quare v[est]ra r[everenda]

^{a)} charta perforata.

¹⁾ Erhardus Mugler, prima vice occurrit hoc anno 1488, 1492 iul. 19. qua prior Teplensis electus in praepositum Chotesoviensem, resignavit 1504 iul. 29., ultima mentio 1506 maii 10.

²⁾ Hi libri usque hodie asservantur in bibliotheca monasterii Teplensis, nempe codex 35 antiphonarium pars hiemalis, cod. 36 antiphonarium pars aestivalis, cod. 37 graduale de tempore et cod. 38 graduale de sanctis, omnes de anno 1491. Cf. Milo NENTWICH, *Verzeichnis der Handschriften in der Bibliothek des Stiftes Tepl I*, pag. 13-14.

³⁾ Johannes Meszen, quondam praepositus s. Wiperti Quedlinburgensis (ergo ante 1488 forsitan statim post 1482?), postea praepositus in monasterio Wedinghausen-Arnsberg annis 1488-1511.

⁴⁾ Paulus, frater monasterii Teplensis, tantum hoc anno commemoratur.

⁵⁾ Egidius, frater monasterii Teplensis. Difficile discerni potest, quis ex diversis fratribus huius nominis sit.

⁶⁾ Cf. litteras IV, nota 2.

⁷⁾ Soest in Vestfalia.

⁸⁾ Sayn.

⁹⁾ Petrus forsitan idem ac Petrus anno 1509 abbas Strahoviensis (Petrus IV.), postea eodem anno abbas Teplensis factus (Petrus II. 1509-1526).

p[aternitas] mite cum eis agatis[!] et misericordia singulari[?] cum paternali amore ad alas recipiscat[!] paternas, quia a tramite recto et via salutis sepe la[bi]les^{a)} simus et declines. Demum v[estra] p[aternitatis] frater Petrus⁹⁾ morum et vite commendabilis et omnibus amabilis se peroptime nobiscum habeat et iuxta conductum domini Erhardi in presbyterum faciamus ordinari. Et quid paternali favore v[estre] p[aternitati] moregerari possimus^{b)}, offerimus nos nostrosque per omnia semper paratissimos. Ex Gracia Dei¹⁰⁾ die octava Corporis Christi anno LXXXVIII^o [= 1488 iunii 12.].

Frater Andreas¹¹⁾ servitor fratrum monasterii beate Marie Magdeburgensis ordinis Premonstratensis.

[In dorso:]

Reverendo in Christo patri et domino Sigismundo[!] monasterii Teppellensis[!] abbati¹²⁾, suo patri et domino admodum venerando.

XXII.

1494 apr. 6. Jihlava

Petrus abbas Siloensis Sigismundo abbati Teplensi Cristoforum professum Siloensem et diaconum mittit propter ordinis capescenda statuta et regularis vitae institutionem.

Orig. chart. num. 194 in archivo monasterii Teplensis, hodie in Arch. regionali status Pilsnensi. Sigillum Petri abbatis Siloensis in dorso appressum charta tectum satis bene est asservatum.

Oraciones in Cristo utinam devotas longitudinem eciam dierum feliciū cum promptitudine[!] ad omnia optata. Reverende pater, quamquam locorum distancia nos disiungat, amor tamen Christi quo invicem uri debemus nos unit atque coniungit. Pretera vestra de humanitate atque bonitate confisus et de ordinis conformitate et unitate audencius patere presumpsi et peto humillime precibus maioribus, quibus possum. Dignetur vestra reverenda paternitas presencium exhibitorem meum

^{b)} correctum ex possemus.

¹⁰⁾ Gottesgnaden.

¹¹⁾ Cf. litteras XIV, nota 6.

¹²⁾ Cf. litteras I, nota 2.

professum Cristoforum¹⁾ et dyaconum apud vestram paternitatem reverendam educare et fovere et sub aliis[!]^{a)} vestre reverende pietatis[!]^{b)} tutela suscipere propter sancti ordinis nostri capescenda statuta, regularis vite institutionem que permaxime apud colendam paternitatem vestram viget et specialiter ob intuitum dei omnipotentis eiusque genetricis et nostram singulariter paupertatem. Quoniam partiti sumus et disgregati sicut orphani et possessione orbat per heresim et scismata Bohemorum et specialiter ob singularem eius affectum, quem habet ad vestre paternitatis reverende monasterium. Neque eum ad locum mittat, sed potius michi remittat, si utique locum ad tempus habere non poterit. Rogo tamen maxime non sinat me paternitas vestra reverenda frustrari spe et optatis meis. Quodsi hoc loco desideriis meis satisfeceritis, non censeo quidquam fore, quod non libens pro honore et reverencia et complacencia paternitatis accurate perficiam. Valeat felix ewo[!] longo paternalis reverencia vestra michi poscenti aures exaudibiles. Datum Iglavie²⁾ die sexta mensis aprilis[!] anno salutis 1494.

Petrus³⁾ miseracione divina abbas
monasterii Siloensis ordinis
Premonstratensis.

[*In dorso eadem manu.*] Reverendo in Cristo patri et domino domino N.⁴⁾ abbati monasterii Teplocensis[!]⁵⁾ ordinis Premonstratensis sibi precipuo. [*Alia manu, fere coaeva.*] fratrum extraneorum. [*Manu fere saec. XVI.*] abbates et prepositi. [*Aliis manibus additiones temporis moderni.*]

XXIII.

1497 oct. 25. Milevsko

Bartholomaeus abbas Milocensis Sigismundo abbati Teplensi [Ulricum]

^{a)} loco alis.

^{b)} loco paternitatis.

¹⁾ Cristoforus diaconus professus Siloensis, verisimiliter idem ac Cristoforus subprior, qui 1500 apr. 13. commemoratur, postea 1518 apr. 23. ut prior occurrit.

²⁾ Jihlava (bohémice), Iglau (germanice) civitas in confinio Bohemiae et Moraviae in Bohemoslovacia.

³⁾ Petrus II. abbas Siloensis 1493-1500†.

⁴⁾ Cf. litteras I, nota 2.

⁵⁾ Cf. litt. V, nota 6.

depositum praepositum Plagensem commendat, ut ipsum in confratrem recipiat.

Orig. chart., sigillum appressum chartula tectum, formae oblongae octogonalis, in parte superiori litterae styli gothici bar [= Bartholomaeus], in parte inferiori imago detrita, sign. No 181 z archivi monasterii Teplensis hodie in Archivo regionali status Pilsnensi.

Copia saec. XVII. cum aliquibus mendis in archivo monasterii Siloensis (Zeliv) hodie in arch. regionali status Trebonensi.

Premissa recommendacione humili cum oracionibus continuis et devotis. R[everende] p[ater] et domine. Non sunt loquele neque sermones¹⁾, quibus exprimere possim leticiam cordis, quociens nobis de vestra paternitate et monasterio vestro prospera nunciantur, doleremus pro certo^{a)}, si contrarium audiremus. Quapropter accepta fiducia audemus v[estre] d[ominacioni] presentibus literis supplicare^{b)}, quatinus nostre devocionis et petitionis intuitu literas cum suo portitore dignemini graciosius suscipere et sibi^{c)} graciosam audienciam prebere. R[everende] p[ater], multa enim essent scribenda, sed quia longa et tediosa essent audienda, percipiet enim v[estra] r[everenda] p[aternitas] ex literis domini prepositi Plagensis²⁾ desiderium [et]^{d)} voluntatem, pro qua nos[!] et magnificum[!] dominum[!] de Sswamberg³⁾ quatinus ad vestram r[everendam] p[aternitatem] intercederemus, quatinus quendam depositum prepositum⁴⁾ eiusdem monasterii ad sacri vestri monasterii iam diucius^{e)} flagrantibus intensisque desideriis et ut credo divinitus aspirantem dignemini graciosius recipere in vestrum confratrem sperantes firmiter non solum per hoc eius saluti anime, verum eciam vestri monasterii utilitati et quomodo^{f)} fore provisum, prout presencium exhibitor oretenis lucidius et clarius edocebit. Non dubitamus, quin v[estra] r[everenda]

^{a)} certo *correctum ex certe.*

^{b)} *post supplicare deletum ut.*

^{c)} *sibi scriptum supra deletum gl.*

^{d)} *et deest in originali.*

^{e)} *post diucius deletum flagra.*

^{f)} *sic, loco commodo.*

¹⁾ Cf. Psalmus 18,4.

²⁾ Joannes IV. Grosshaupt 1493-1499, praepositus Plagensis monasterii in Austria Superiori.

³⁾ Cristoforus de Schwanberg 1490-1523† cui maxima pars bonorum monasterii Milocensis oppignorata fuit.

⁴⁾ Ulricus II. 1490-1493 praepositus Plagensis, anno 1493 depositus. Forsan idem, qui postea annis 1515-1517 fuit prior in Milevsko?.

p[aternitas] ob respectum magnifici domini⁵⁾ et nostre humilitatis intuitu eum graciose suscipiet. Quod si eum v[estra] r[everenda] p[aternitas] non possit[!] fovere, remitat[!] eum ad aliud monasterium reformatum, nam non intendit in non reformato monasterio manere, sed in observancia Deo et beate Virgini fideliter et devote servire in hoc toti celesti ierarchie magnum gaudium facietis, nos et ipsum perpetuos exoratores habebitis. Valeat v[estra] r[everenda] p[aternitas] in filio Virginis gloriose per tempore longeva. Ex monasterio nostro Milocensi⁶⁾ vicesima quinta die mensis octobris etc. 97.

Fratr Bartholomeus⁶⁾ permissione divina
humilis abbas monasterii Milocensis⁷⁾.

[In dorso:] Reverendo in Christo patri et domino domino Zygiz-mundo[!]⁸⁾ divina providencia abbati Theplensi[!], patri et domino sibi favoroso.

[Manu forsán saeculi XVI. adscriptum:] Abbas Milocensis.

XXIV.

1499 iul. 9. [Strahov]

Matthaeus abbas Strahoviensis Sigismundum abbatem Teplensem petit, ut sibi unum vel duos fratres accomodet.

Orig. chart., sigillum quondam appressum deperditum est. Sign. No. 181 v, archivi monasterii Teplensis, hodie in Archivo regionali status Pilsnensi.

Pro salutacione in Christo Jesu domino, dileccione fraterna in caritate non ficta ante omnia preprorecta absque omni adulacionis scrupulo et offensa qualibet procul mota cum desiderio anime et corporis salutis. Quia quid prosperitas mundi valeret in hac presenti vita, si dampnacio corporis et anime sequeretur in futura vita teste Mattheo XVI.: Quid

⁵⁾ post Milocensi deletum a[nno] d[omini].

⁶⁾ Cf. notam 3 hic superius.

⁶⁾ Bartholomaeus abbas Milocensis 1493-1499, antea annis 1490-1493 praepositus monasterii virginum de Nová Rise in Bohemoslovakia.

⁷⁾ Milevsko.

⁸⁾ Cf. litteras I, nota 2.

prodest homini, si mundum universum lucretur¹⁾ etc. Ideo domine ac pater multum dilecte, pensamus dicta salvatoris Matth. XVIII.: Si frater tuus peccaverit in te, vade, corrige eum inter te et ipsum solum²⁾. Ergo paternitas vestra me correxit ex caritate propter paucitatem fratrum ac sacerdotum. Diligenciam magnam apposui volens congregare dispersos, sed minime valeo, Sed rogo humiliter propter Jesum, si paternitas vestra habet aliquos in residuo, unum seu duos, cum magna caritate vellem eos acceptare et eos fovere. Et cum hoc, missale cum ordinario spero me impetraturum. Et ego in tali et multo maiori pronus et paratus, eorum de sanitate ac prosperitate omnium vestrum audire depono cum ingenti gaudio. Valete in eo, qui est fons valitudinis[!] et salutis. Datum in octava visitacionis sancte Marie virginis anno etc. LXXXIX.

Matheus³⁾ abbas
Strahowiensis vester totus.

[*In dorso:*]

Reverendo in Christo patri et domino domino Sigismundo⁴⁾ abbati monasterii Teplensis, patri nostro predilecto.

[*Manu saec. XVII.-XVIII. in dorso additum:*]

In iulio 1499 abbas Sionaeus Matthaeus petit unum aut duos fratres.

XXV.

1501 apr. 20. Teplá

Sigismundus abbas Teplensis Volfgango abbati Siloensi de fratre Volfgango monasterii Siloensis quondam a Petro abbate Siloensi Teplam misso et nunc redeunti scribit.

Or. chart. num. 203 in archivo monasterii Teplensis, hodie in arch. regionali status Pilsnensi. Sine sigillo, exemplar non expeditum.

Devotis oracionibus in Christo premissis et quitquit potuerimus reverencie et honoris. Reverende ac imprimis colende pater ac domine, missus est nobis frater Wolfgangus¹⁾ ab antecessore vestre r[e]verende]

¹⁾ Cf. Matth. XVI, 26.

²⁾ Cf. Matth. XVIII, 15.

³⁾ Cf. litteras V, nota 2.

⁴⁾ Cf. litteras I, nota 2.

¹⁾ Wolfgangus, frater Siloensis, forsán idem ac Wolfgangus II. abbas Siloensis 1518-1521†.

p[aternitatis] bone memorie²⁾ unacum litteris petens, ut ipsum ad tempus nobiscum in vita regulari haberemus. Quod animo libenti fecimus et multo in maiori v[estre] r[everende] p[aternitati] et toto conventui ubi valemus complacere parati sumus. Cum eciam propter suam vitam honestam et regularem, quam nobiscum hoc tempore gessit tedium nobis non fuisset servare adhuc ad tempus. Sed ex quo v[estra] r[everenda] p[aternitas] superioribus diebus scripsit et predictum fratrem revocavit, cogitavit visis litteris redire et satis facere scriptis v[estre] r[everende] p[aternitatis] tanquam filius et frater obediens. Nos autem intuentes suam obedienciam prius promovimus eum ad sacros ordines videlicet subdiaconatum et diaconatum. Qui³⁾ adeptus est per sacrum tempus. Demum petivit, ut sibi daremus recognicionem et testimonium sue conservacionis in nostra vita regulari. Sua peticio ista non permittit denegare. Quare ipsum recommendamus v[estre] r[everende] p[aternitati] uti obedientem, discretum et regularem vitam diligentem. Hortamur v[estram] r[everendam] p[aternitatem] eum velle diligere et omnem humanitatem prestare vestra ex parte, nos unacum toto conventu nostro in maiori ad quevis beneplacita semper paratissimum sencietis. Valeat proinde v[estra] r[everenda] p[aternitas] in Cristo omnium redemptore. Ex nostro monasterio Teplensi die vicesima mensis aprilis anno domini 1501.

Sigismundus divina miseracione
abbas monasterii Teplensis³⁾.

[In dorso:] Reverendo in Cristo patri ac domino domino Wolfango⁴⁾ divina miseracione abbati Syloensi patri ac domino nobis singularissimo.

[Alia vel aliis manibus scripta sunt in dorso diversa exempla scripturae, omnia in lingua bohémica:]

Duostojnému ctihodnému knězi opatovi knězi Zigmundovi opatu kláštera Teplského příteli mému dobrému.

Urozenému pánu panu Křištofovi z Gutštejna a pánu na Rabštejně panu kmotru milému.

Duostojnému knězi knězi Zigmundovi.

Kněz Zigmund opat a všecken konvent kláštera Teplského.

^{a)} Qui loco quos (scilicet ordines) in orig.

²⁾ Nempe a Petro II. abbate Siloensi 1493-1500, quando obiit 6. apr.

³⁾ Cf. litteras I, nota 2.

⁴⁾ Volfgangus I. abbas Siloensis 1500-1518†.

XXVI.

1504 iul. 22. Budae.

Vladislaus rex Bohemiae Sigismundo abbati Teplensi et Ambrosio decano ecclesiae metropolitanae Pragensis de vita regulari in monasterio Chotesoviensi scribit.

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 127^v-128^r in bibliotheca monasterii Teplensis.

Vladislaus¹⁾ dei gratia Hungariae Boemiaeque etc. rex ac marchio Moraviae etc. vobis venerabilibus Sigismundo²⁾ abbati in Tepla et Ambrosio³⁾ decano ecclesiae metropolitanae Pragensis fidelibus devotis dilectis gratiam nostram regiam et omne bonum. Cupientes, ut personae Deo dicatae et quae mundanis vanitatibus renuntiantes Christo domino sub regulari disciplina sancte et caste militare se obligarunt ea vitae integritate vivant eaque morum ac famae puritate, ut et Deo placitum obsequium et caeteris Christi fidelibus ex se salutare praestent exemplum. Sane a nonnullis fide dignis personis edocti, qualiter fratres ac sanctimoniales monasterii Chotiessoviensis⁴⁾ regularis observantiae metas transgredientes ab ea longe exorbitent neque in ea observantia vivant, in qua ex ordinis ipsorum institutione regulariter vivere tenerentur⁵⁾. Ideoque talibus opportuno remedio providere volentes, devotionibus vestris insolidum ac unicuique vestrum mandamus atque committimus per praesentes, ut adiunctis vobis regularibus aliquibus personis, de quorum probata vita constet, praepositum, fratres ac sanctimoniales praefati monasterii personaliter visitare ac diligens et de vita et conversatione ipsorum scrutinium et examen facere debeatis ac teneamini. Quod si aliquid eorum vos invenire contingat, quod ordinis ipsorum esset contrarium quodque merito emendandum esset volumus, ut omni favore postposito id emendetis, corrigatis, ut deinceps sub regulari (prout tenentur) ordinis disciplina et observantia reclusi vivant, omnimode reformare curetis. Volumus etiam, ut de proventibus illius monasterii

¹⁾ Cf. litteras VI, nota 3.

²⁾ Cf. litt. I, nota 2.

³⁾ Ambrosius de Plzen, decanus Pragensis 1490-1509.

⁴⁾ Chotesov.

⁵⁾ Allusio in Erhardum Mugler praepositum Chotesoviensem, qui ex Katherina Usilovska sorore monasterii Chotesoviensis infantem procreavit. Cf. etiam litteras XXI, nota 1.

diligentem inquisitionem faciatis, ut non ad extraneos aliquos usus vel personas dissipentur, sed ad utilitatem monasterii et personarum illic degentium ac Deo militantium et non alias convertantur, secus nullatenus facturi. Datum Budae⁶⁾ die sanctae Mariae Magdalenae anno Christi MDIV regnorum autem nostrorum Hungariae XIV, Boemiae XXXIII.

Ex commissione propria regiae maiestatis.

XXVII.

1506 ian. 28. [Strahov]

Matthaeus abbas Strahoviensis Sigismundo abbati Teplensi de rebus diversas personas ordinis tangentibus scribit.

Orig. chart. sign. nr. 226 archivi monasterii Teplensis, hodie in Arch. regionali status Pilsnensi. Sigillum quondam appressum deest.

Salutem plurimam dicit et cetera. Reverende pater, de sanitate et prosperitate p[aternitatis] v[estre] multum gaudeo. Reverende pater, prius scripsi p[aternitati] v[estre] intencionem meam ad reverendum dominum dominum abbatem Premonstratensem¹⁾ responsum per venerabilem patrem et dominum prepositum Maidburgensem²⁾ et iam scripsi literam secundam paternitati vestre in die Thimothei [= 1506 ian. 24.] rogando paternitatem v[estram] pro promocione ad dominum prepositum, sed preventus sum a paternitate vestra, pro qua multum gratus sum et refero p[aternitati] v[estre] gracias infinitas, quod p[aternitas] v[estra] curam gerit et litera vel copia mihi summe placet et eciam posui in litera mea, quod mitto paternitati sue aliquos florenos renenses pro expensis, sed numerum non scripsi, nisi p[aternitati] v[estre] dicam tres sibi mittam tamen. Si autem p[aternitati] v[estre] videbitur modicum, rogo p[aternitatem] v[estram] mihi accomodare quantum esset cum honore. Et ego reddam p[aternitati] v[estre] sine mora quando mutuo conveniemus deo dante. Et literam remitto p[aternitati] v[estre] propter illos florenos, si p[aternitas] v[estra] accomodabit scribatis numerum p[aternitatis] sue in

⁶⁾ Buda, quondam caput regni Hungariae, hodie pars civitatis Budapestinae.

¹⁾ Joannes de l'Ecluse 1487-1512.

²⁾ Henricus III. Stott praepositus B. M. V. Magdeburgensis 1497-1534.

litera vestra alias non^{a)}. Et ego scribam fratri Sigismundo³⁾, ut recipiat literam illam^{b)} vel plures circa paternitatem v[estram], quando fuerit in via constitutus. Et etiam excuso cum summa diligencia p[aternitati] v[estre] et dominum prepositum Chotiessoviensem⁴⁾ et dominum prepositum Doxanensem⁵⁾ nominatim. Et etiam ceteros prelatos, quia Deus novit, quod non possum eos visitare. Etiam memor ero p[aternitatis] v[estre] sicut de iure debeo facere. Et de illis fratribus, quibus datur gracia standi in seculo et cetera non est mihi faciendum, postea pandam p[aternitati] v[estre]. De fratre Jacobo⁶⁾ nichil penitus audio, utrum fuit correctus pro excessu suo maximo. Valet felicit. Datum feria IIII post conversionem sancti Pauli apostoli anno domini etc. VI.

Matheus abbas Strahoviensis⁷⁾.

[In dorso:]

Reverendo in Christo patri ac domino domino Sigismundo⁸⁾ abbati monasterii Teplensis patri nobis multum dilecto.

[Manu Venceslai Schillingi forsan anno 1621 scriptum:] Mattheus aliquando abbas Strahoviensis 1506.

[Manu saec. XVIII. (?) :] 1506 29. ian. 115.

XXVIII.

1512 iulii 16. Milevsko

Georgius abbas Milocensis Petro abbati Teplensi de fratre Osvaldo professo monasterii Milocensis et ut unum fratrem sibi mittat, scribit.

Copia chart. saec. XVII.-XVIII. in archivo monasterii Siloensis, hodie in Arch. regionali status Trebonensi.

^{a)} non scriptum supra lineam.

^{b)} illam correctum ex illas.

³⁾ Sigismundus, alius quam abbas Teplensis, forsan idem ac Sigismundus praepositus Chotesoviensis 1519-1521, antea usque ad 1519 prior Teplensis.

⁴⁾ Clemens 1504-1519.

⁵⁾ Stanislaus 1504-1508.

⁶⁾ Jacobus, frater Strahoviensis, commemoratur annis 1505-1518, forsan idem ac Jacobus prior annis 1516-1517.

⁷⁾ Cf. literas V, nota 2.

Salutes felicibus votis ornatas. Latere vos, pater reverende, nolumus quomodo confrater noster Oswaldus¹⁾, praesentium exhibitor, facta professione in reprobum sensum datus voti sui immemor pariter et salutis, propter instantias necnon insolentias a praedecessore piae memoriae domino Martino²⁾ sibi factas a monasterio, cui nunc praesumus, recessit et ad saeculum se transtulit, damnabiliter vagando et peccata enormia satis necnon homicidia commitendo. Super hos casus et specialiter ut [habitum(?)] absque scrupulo gestare posset, deponere consultum nos habuit, qui consilium dare sanum potuimus minime. Quare hunc vestrae reverendae paternitati duximus dirigendum, ut sibi precumstrarum hac in re consiliari velitis, ne ut praevaricationis filius posset condemnari, quo nihil iucundius nobis nihilque facere potestis optatius. Quod si feceritis, beneficiorum memores Dei multa vobis commutata mercede rependant. Et si paternitati vestrae reverendae superest frater, qui esset exemplaris regulae patris Augustini necnon caeremoniarum expertus, hunc saltem nobis ad tempus mittite, oramus atque flagitamus. Si quid ex nobis vultis, vestrum erit praecipere, quam parati erimus probando condiscetis. Optamus igitur inter nos amorem optimum inchoari coeptumque augeri omni tempore secluso. Valete, nos uti vos amate. Nos[tro]^{a)} ex coenobio Milocensi XVI iulii tarde dum nox aderat crescentibus astris anno MDXII.

Georgius³⁾ divina miseratione abbas
monasterii Milocensis.

[In dorso originalis scriptum fuit:]

Reverendo in Christo patri domino domino Petro⁴⁾ abbati monasterii Teplensis necnon visitatori generali, praelato nobis amando.

[Quod in copia sequitur, forsitan etiam in dorso originalis manu posteriori scriptum erat:] Pater abbas Milovicensis[!] mittit fratrem reprobum ad Teplense et pro suo repetit disciplinatum.

^{a)} in copia tantum nos.

¹⁾ Oswaldus, verisimiliter idem ac Oswaldus Poch diaconus, religiosus monasterii Plagensis (Schlägl) in Austria, de quo vide VALVEKENS. Acta I, p. 193, ubi autem «Selagensis» falso ut «Siloensis» interpretatur.

²⁾ Martinus abbas Milocensis 1504-1507.

³⁾ Georgius abbas Milocensis 1511-1512.

⁴⁾ Cf. litteras XXI, nota 9.

XXIX.

1514 iun. 12. Jihlava

Volfgangus abbas Siloensis Petro abbati Teplensi novitium Martinum monasterii Siloensis transmittit.

Cop. chart. in sic dicta collectione nova, sign. NS nr. 507/52 in archivo regionali status Brunnensi.

Reverendo in Christo patri domino Petro¹⁾ abbati monasterii Teplensis necnon visitatori generali, praelato nobis amando Wolffgangus²⁾ miseratione divina abbas monasterii Syloensis salutem plurimam una cum devotis orationibus in domino praemissis. R[everende] p[ater], de sano ac prospero successu v[estrae] r[everendae] p[aternalitatis] totiusque conventus non parvo afficeremur. Hinc est r[everende] p[ater] quemadmodum monasterio nostro a quinquaginta annis³⁾ per expulsionem perfidorum haereticorum spoliati sumus, ita quod nos una cum fratribus nostris in domo privata apud ecclesiam s. Jacobi parochialem in civitate Iglaviensi habitare cogimur, ubi confratres meos a seculo ad nos confluentes regulari vita et ceremoniis ordinis instituere possumus minime. Et quoniam v[estra] r[everenda] p[aternalitas] conventum et monasterium habeat optime reformatum, in quo novelli fratres informationem debitam tam in cantu et horis canonicis, quam etiam in aliis essentialibus ordinis adipisci possunt, quocirca v[estram] r[everendam] p[aternalitatem] quemdam novitium Martinum⁴⁾ praesentium exhibitorem incolam civitatis Iglaviensis⁵⁾ et Viennensis⁶⁾ gymnasii studiosum transmittimus obnixe et devote supplicantes, quatenus ipsum habitum sacrae religionis induere more vestro atque causa Dei et exilii nostri ob respectum paterne et charitative confovere velit ad anni spatium saltem, ut aliquam informationem ordinis a vestris confratribus reportare possit et genitor, qui secum est in comitatu, quaecunque v[estra] r[everenda] p[aternalitas] superimponet de vestimentis et aliis necessariis satisfaciet et in toto si actu non poterit, tamen in futurum satisfaciemus.

¹⁾ Cf. litteras XXI, nota 9.

²⁾ Cf. litt. XXV, nota 4.

³⁾ ab anno 1468.

⁴⁾ Martinus novitius Siloensis commemoratur tantum hic et anno sequenti (1515), cf. litt. XXX, note 1.

⁵⁾ Cf. litt. XXII, nota 2.

⁶⁾ Vienna = Vindobona = Wien, caput Austriae.

Indubiam de v[estra] r[everenda] p[aternitate] gerimus fiduciam, quis paupertatem et exilium nostrum aspiciet et preces nostras ad effectum deducet, pro quo Deum habebit retributorem supremum et nos cum conventu nostro humillimos exoratores. Datum Iglaviae XII iunii anno 1514.

XXX.

1515 maii 18. Jihlava

Wolfgangus abbas Siloensis Petrum abbatem Teplensem petit, ut fratrem Martinum monasterii Siloensis ad monasterium Milocense mittat.

Copia chart. saec. XVII.-XVIII. in archivo monasterii Siloensis, hodie in arch. regionali status Treboniensi.

Translatio germanica in sic dicta collectione nova, sign. NS 507/52 arch. regionalis status Brunnensis.

Salutem plurimam una cum orationibus devotis in domino iugiter praemissis. Reverende pater, supplicamus humilime vestrae reverendae paternitati, quatenus confratrem nostrum Martinum¹⁾ vestrae reverendae paternitati a nobis commissum remittere dignemini ad monasterium Milocense²⁾, cui noviter praelatum praefecimus tamquam pater abbas et propter magnum defectum, quem idem abbas³⁾ patitur in fratribus, ipsum fratrem Martinum sibi assignavimus ad tempus. Et si vestrae reverendae paternitati essent superflui fratres, praefatum locum ut instaurare uno vel pluribus confratribus velitis, magis ac magis rogamus, ut saltem hoc exile monasterium⁴⁾ per successum temporis incrementum a personis habere possit ad laudem Dei. Et si quid pro fratre Martino vestrae reverendae paternitati debebimus, obnixe petimus, ut scriptis nobis significare velitis, pro quo sine mora satisfieri curabimus ex hinc salvere[?] et prospere vivere paternitatem vestram reverendam cupimus longaeve. Ex Iglavia XVIII mensis maii anno domini MDXV.

Wolfgangus⁵⁾ miseratione divina abbas
monasterii Syloensis.

¹⁾ Cf. litt. XXIX, nota 4.

²⁾ Milevsko.

³⁾ Andreas abbas Milocensis 1515-1524.

⁴⁾ nempe Milevsko.

⁵⁾ Cf. litt. XXV, nota 4.

[*In dorso originalis scriptum erat:*]

Reverendo in Christo patri et domino domino Petro⁶⁾ divina permissione abbati monasterii Teplensis necnon visitatori generali ordinis nostri Praemonstratensis patri et praeceptori semper amando.

EPILOGUS

Ut ex omnibus documentis publicatis patet, reformatio monasteriorum circariae Bohemiae saeculo decimo quinto exeunte ad solum monasterium Teplense determinata est. Relationes cum iam reformato monasterio Magdeburgensi et cum Saxonia tantum Bohemia ipsa instituere potuit. Moravia tunc enim sub potestate Mathiae regis Ungariae stabat usque ad mortem ipsius anno 1490. In Austria ad circariam Bohemiae tunc pertinente nihil de reformatione audimus. In Bohemia quattuor monasteria virorum eo tempore existebant nempe Strahoviense vel Montis Sion (Strahov), Teplense (Teplá), Siloense (Želiv) et Milocense (Milevsko). Conventus Siloensis tunc in civitate Iglaviensi (Jihlava, Iglau) in confinibus Bohemiae et Moraviae exulans circa annum 1480 forsan non plus quam 20 professos habuit, in monasterio Milocensi praeter abbatem anno 1495 tantum quattuor conventuales degebant (numerus fratrum in parochiis indicare nequimus). Monasterium Strahoviense anno 1486 circa 7 et anno 1498 circa 9 professos habuit. Numerosissimum ergo erat monasterium Teplense anno 1468 25 et anno 1507 24 professos habens. Deminutio transitoria post annum 1483 (aliqui professi reformationi subiici nolentes Teplam reliquerunt) paulo post suppleta est. Omnia monasteria Bohemiae petebant ergo a Tepla saltem aliquot fratres ad tempus. Anno 1499 Strahov exposcit unum vel duos, Siloa anno 1494 mittit Teplam suum diaconum Christophorum “«propter regularis vite institutionem», ante annum 1501 missus est Teplam Siloensis frater Volfgangus, «ut ipsum ad tempus nobiscum in vita regulari haberemus» dicente ipso abbate Teplensi Sigismundo. Anno 1514 mittitur ab abbate Siloensi Teplam novitius Martinus, quia «in domo privata ... in civitate Iglaviensi confratres meos a seculo ad nos confluentes regulari vita et ceremoniis ordinis instituere possumus minime». Abbas Milocensis anno 1497 mittit Teplam depositum praepositum Plagensensem, qui «non intendit in non reformato monasterio

⁶⁾ Cf. litt. XXI, nota 9.

manere» — argumentum indicans monasterium Milocense non reformatum fuisse. Anno 1512 alius abbas Milocensis a Tepla saltem unum fratrem exposcit, «qui esset exemplaris regulae patris Augustini necnon caeremoniarum expertus». Item anno 1515 abbas Siloensis rogat abbatem Teplensem «praefatum locum (= Milevsko) ut instaurare uno vel pluribus confratribus velitis». Quamquam litterae a Tepla receptae vel missae non multae ex eo tempore asservatae sunt, dici potest pluries certe diversos abbates Bohemiae Teplam similes petitiones misisse.

Karel DOLISTA

Mazurská 519

CS-181 00 PRAHA 8 - Troja